REV. PATRIS

AVGVSTINI DE ANGELIS

Congregationis Somaſchæ

MANVALE PROPVGNACVLI

Quod olim Hyacinto Arpalego

OBIECIT

Excellentiſſ. & Reuerendiſſ. Dominus

D. LVDOVICVS CRESPI, ET BORGIA

Olim Epiſcopus Orilienſis, nunc Placentinus, & Orator Extraordinarius Magni Philippi IV. Regis Hiſpaniarum.

APVD SANCTISSIMVM DOMINVM

ALEXANDRVM PP. VII.

Pro Immaculata B.M.Virg.Conceptione,

Aliaque eiuſdem Auctoris de eadem re

OPVSCVLA.

Panormi, Typis Ioſeph Biſagni, Anno 1660.

Superiorum Permiſſu,

DVODECIM RADII

Quibus à Visibilis Ecclesię Sole,& vero Luminum Patre Alexandro VII. Beatissimæ VIRGINIS MARIÆ Præseruatio à Peccato Originali in primo suæ Animationis instanti illustratur, illuminatur.

VIx huic Operi vltimam Typographus manum admouerat,cùm ecce faustissimus Nũtius Piorum omnium ingenti gaudio corda perfudit;accepimus enim ex eo Romæ ab Alexandro VII.Ecclesiæ Catholicæ Clauum fęliciter tenente, emanasse Bullam in fauorem Marianæ Præseruationis tenoris sequentis,videlicèt.

SS.D.N.D. ALEXANDRI Diuina Prouidentiæ Papæ VII. Innouatio Constitutionum, & Decretorum in fauorem sententię assercatis, Animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione à Peccato Originali præseruatam fuisse, editorum. Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam, Sollicitudo omnium Eccle-

ſiarum, quam, licet meritis & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & prouidentia gerimus, in id Nos anxiè tenet intentos & vigilantes, vt ſcandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, & fragilitate neceſſe eſt vt veniant, quantum fieri poteſt pauciſſima exoriantur, vtque exorta quàm celerrimè, & quàm diligentiſſimè amoueantur: nam ijs per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus verò præbentur præſens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro noſtro paſtoralis officij debito, & damnum ſummopere dolemus, & diſcrimine aſſiduè vrimur. Sanè vetus eſt Chriſtifidelium erga eius Beatiſſimam Matrem Virginem Mariam Pietas, ſentientium, eius Animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia, & priuilegio, intuitu meritorum Ieſu Chriſti eius filij, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præſeruatam immunem, atque in hoc ſenſu eius Conceptionis feſtiuitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium; creuitque horum numerus, atque huiuſmodi cultus poſt editas à felic. record. Sixto PP. IV. prædeceſſore noſtro in eius commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innouauit, atque obſeruari mandauit. Aucta rurſus, & propagatus fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religioſum Ordine, & Confraternitates, ac conceſſas ab ijſdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academijs

ad

ad hanc sententiam, iam ferè omnes Catholici cā complectantur. Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quòd nempè eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in popu'o Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones, rec. mem. Paulus PP. V. etiam prædecessor noster vetuit horum opinionem præfatæ sententię contrariam publicè doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Gregorius PP. XV. similiter prædecessor noster ad priuata etiam colloquia extendit; mandans insuper in fauorem eiusdem sententiæ, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis tàm publicè, quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti quicumque debeant. Nihilominus, prout venerabiles fratres Episcopi ferè omnes Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad Nos litteris exposuerunt, accedente etiam insinuatione charissimi in Christo filij nostri Philippi earundem Hispaniarum Regis Catholici, qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem venerabilem fratrem Ludouicum Episcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earundem Hispaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius operationes assertores contra præfatas prohibitiones tum priuatim, tum publicè præfatam sententiam aut impugnare, aut vellicare, & fauorem à Romanis Pontificibus cultui, & festo secundùm illam præstitum ita interpretari,

vt frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ, & cultui iuxtà illam Beatæ Virgini exhibito fauere negant, pios Christi fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando; vnde offensiones, scandala, & iurgia, quibus obuiare voluerūt Paulus V. & Gregorius XV. nostri prædecessores perdurant adhuc, & ex occasione eorundem aduersantium maiora his incommoda in posterum prudenter, & meritò timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quàm memoratus Philippus Rex, eiusq; Regna Nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt. Nos considerantes, quòd Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinauit iuxta piam, deuotam, & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. prædecessore nostro tunc emanauit; volentèsque laudabili huic pietati, & deuotioni, & festo, ac cultui secundùm illā exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem numquam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo fauere, necnon tueri pietatem & deuotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, præueniente scilicet Spiritus sancti gratia, à peccato originali præseruatam; cupientèsque in Christi grege vnitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & iurgijs, amotisque scādalis, conseruare: ac præfatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, eiusque

eiusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces, Constitutiones, & Decreta à Romanis Põtificibus prædecessoribus nostris, & precipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem sententiæ asserentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione & in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam, & à peccato originali pręseruatam fuisse, necnon & in fauorem festi, & cultus Conceptionis eiusdem Virginis Deiparę secundùm piam istam sententiam, vt præfertur, exhibiti, innouamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis obseruari mãdamus. Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpetrari, vt fauorem per illas dictæ sententiæ, & festo, seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem reuocare, aut contrà ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut sub quouis prætextu, etiam definibilitatis eius examinandæ, siue sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, siue Doctores glossandi, vel interpetrandi, denique alio quouis prætextu, seu occasione; scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contrà ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquẽdo, aut alio quouis excogitabili modo disserendo, ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, & per præsentes subijcimus, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi

tandi facultate, ac voce actiua, & passiua in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione; à quibus pœnis non nisi à Nobis ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus absolui, aut super ijs dispensari possint: necnon eosdē alijs pœnis nostro, & eorumdem Romanorum Pōtificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subiacere volumus, prout subijcimus per præsentes, innouantes Pauli V. & Gregorij XV. superiùs memoratas Constitutiones, siue Decreta. Ac libros in quibus præfata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubio reuocatur, aut contra ea quomodocumque, vt supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus, sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus. & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicèt, gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cùm à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potiùs contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus

eos

eos subiecit Sixtus IV. alijque prædecessores nostri Romani Pontifices, grauioribus alijs pœnis subijcimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superiùs infliximus. Volentes, quòd contra huius nostræ Constitutionis transgressores, etiam regulares cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Iesu, & quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & sęculares personas cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, vt præfertur, tam Episcopi, & Prælati superiores, aliique locorum Ordinarij, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos strictè animaduertant: Nos enim ijs; & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatē ijsdem auctoritate, & tenore tribuimus; & impartimur, eosque, vt præfertur, procedere, inquirere, & punire districtè præcipimus, & mandamus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis quantuncumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quauis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quòd contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, in-

diuidua,

diuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clausulas, mentio habenda, aut alia exquisita forma obseruanda foret, tenoris huiusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque cōtrariis quibuscumque. Vt autem hæc nostra Constitutiō, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest, notitiam congruentius peruenire possint, in virtute sanctæ obedientię, & sub pœna priuationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus; & singulis locorum Ordinarijs, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & alijs singulis, ad quos quòmodolibet spectat, & pertinet, quatenus huiusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtus Prædicatoribus, & alijs, quibus expedire iudicauerint, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant; ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare. Volumus; & similiter eadem auctoritate decernimus, & mādamus, quòd præsentes litteræ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellarię Apostolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ de Vrbe de more publicentur, & affigantur; quæ affixio & publicatio ita omnes, & singulos, ad quos spectet, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatę

fuissent;

fuiſſent; & quod illarum tranſumptis, etiam impreſſis,manu alicuius Notarijs ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus litteris adhiberetur ſi oſtenſæ, vel exhibitæ forent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die viij. Decembris MDCLXI. Pontificatus noſtri anno ſeptimo. S.Vgolinus. Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo,Indictione 13.die vero 11. menſis Decembris,Pontificatus Sanctiſs.in Chriſto Patris,& D.N.D.Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII. anno ſeptimo, ſupraſcriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in Baſilicarum S. Io: Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ valuis,& in acie campi Floræ,vt moris eſt,per me Andream Caſtruceium prælibati Sanctiſs.D.N.D.PP.Curſ. Pro D.Mag. Curſ.Petrus Paulus Deſiderius Curſ. Ioannes Cauallero Notarius publicus Apoſtolicus.

Hanc ſanè Bullam mihi attentiſſimè legenti;& (vt par erat)ponderanti,duodecim affulſere Radij, quibus à viſibilis Eccleſiæ Sole,& vero Luminum Patre Mariana Præſeruatio illuſtratur.

1 Et quidem Primus ex ipſomet Titulo Alexandrinæ Bullæ emiſſus Radius diſycit tenebras Dubitationis illius, quam Nonnulli excitarunt, aſſerentes; Bullas Anteriorum Pontificum Sixti IV.Pauli V.Gregorij XV. æquè fauiſſe vtriq; Sententiæ, Affirmatiuæ ſcilicèt, & Negatiuæ Peccati originalis in B.Virgine; Titulus enim Alexandri-

b næ

næ Bullæ clarissimè declarat, & explicat, Innouari Bullas Anteriorum Pontificum editas in fauorem Sententiæ Asserentis Animam Beatissimæ Virginis in sui Creatione, & ad corpus infusione à Peccato Originali Præseruatam fuisse, facto interim alto silentio de Opposita. Vide 2.p. Ar.I.IX.& XV.huius Tract.

2 Secundus Radius disycit tenebras Dubitationes illius, qua dicebatur; Nouissimis temporibus cæpisse Festum Marianæ Præseruationis à tẽpore Sixti IV. declarat enim Alexandrina Bulla, quòd Vetus fuerit Christifidelium Cultus Marianę Pręseruationis. Vide 2.p.Art.1.huius Tract.

3 Tertius Radius disycit tenebras Dubitationis illius, qua controuertebatur; An ex Institutione Religionum, & Confraternitatum sub Titulo Immaculatæ Conceptionis approbantibus Summis Pontificibus Negatiua sententia, seù Mariana Præseruatio firmaretur: declarat enim Alexandrina Bulla, ex Institutione Religionum, & Confraternitatum approbantibus Summis Pontificibus auctum esse Cultum, & Venerationem ergà Marianam Præseruationem. Vide 2.p.Art.VII. huius Tract.

4 Quartus Radius disycit tenebras Dubitationis illius, qua quærebatur; An ex Concessione Indulgentiarum Mariana Pręseruatio, & Cultus ergà illam firmarentur, plerisq; negantibus fuisse vnquam concessas Indulgentias Immaculatam Conceptionem venerantibus; declarat enim Alexandrina Bulla; Cultum, & Venerationem ergà

Ma-

Marianam Præſeruationem auctam eſſe ex Conceſſione Indulgentiarum; & conſequenter declarat, verè conceſſas fuiſſe Indulgentias colentibus, venerantibus Marianam Præſeruationem. Vide 2. p. Art. V. huius Tract.

5 Quintus Radius diſycit Tenebras Dubitationis illius, qua quærebatur, vtra ſententia eſſet communis inter Fideles, Affirmatiua nè, An Negatiua; declarat enim Alexandrina Bulla, quòd communis inter Fideles fuerit Negatiua, quia declarat, quòd Catholici ferè omnes eam tenuerint, & plerę q; celebriores Academiæ, eam defēderint; conſequenter declarat, quòd Negatiua habeat illam eandem certitudinem, quam habemus de ſalute Adæ Humani Generis Prothoparentis. Vide 2.p.Art.X.& Art.XIV.huius Tract.

6 Sextus Radius diſycit tenebras earum Interpretationum, quibus fauores olim impenſi à Summis Pontificibus, tàm Feſto Marianæ Præſeruationis, quàm ſententiæ illam tuenti, ità gloſſantur, ac ſi fauores non eſſent: declarat enim Alexandrina Bulla, verè fauores fuiſſe, atq; adeò Summos Pontifices Romanos impensè fauiſſe Marianæ Pręſeruationi. Vide 2.v.Art.IX.

7 Septimus Radius diſycit tenebras earum omnium Diſputationum, Concionum, Tractatuum ex profeſſo, ſiuè ſcripto, ſiuè voce vellicantium, & impugnantium Negatiuam: Vetat enim Alexandrina Bulla, & diſtrictè prohibet omnes eiuſmodi Diſputationes, Conciones, Tractatus, & pęnas olim Tranſgreſſoribus inflictas, auget

& cumulat. Vide 2. par. Artic. X.

8 Octauus Radius disycit Tenebras omnis prætextus excogitabilis, quo quis directè, vel indirectè, et proposita argumenta contraria relinquendo insoluta, Festum, & sententiam de Mariana Præseruatione impugnaret, id enim districtè prohibet Bulla Alexandrina. Vide 2. p. Art. X. & Art. IV.

9 Nonus Radius disycit Tenebras eius prætextus specialis, quo quis olim in Regnis Hyspaniarum sub colore proximæ Definibilitatis examinandæ, ausus est Christifideles è sua quasi pacifica possessione colendi hoc Festum, tenendi Sẽtentiam Negatiuam, deturbare. Vide 2. p. Art. V. huius Tract.

10 Decimus Radius disycit tenebras alterius prætextus specialis, quo quis sub colore Sacram Scripturam interpetrandi, SS. PP. aut Doctores glossandi, Sententiam Negatiuam impugnat; Prohibet enim Alexandrina Bulla huiusmodi Glossas, & Interpretationes Sacræ Scripturæ, SS. PP. & Doctorum in præiudicium Festi, & Sententiæ Negatiuæ. Vide 2. p. Art. VIII. & X.

11 Vndecimus Radius disycit tenebras eius Dubitationis, & Controuersiæ diù aliàs agitatæ quodnam sit Obiectum Festi Conceptionis, & & quid intendant Fideles celebrare, dù in hoc Festum celebrant; declarat enim Alexandrina Bulla, Fideles hoc Festum celebrantes, nihil aliud intendere, & nullum aliud obiectum eius celebrationis habere, nisi Marianam Præseruationem, seù Ani-

mam

mam B. Virginis in primo instanti suæ Creationis ad Corpus, fuisse speciali Dei Gratia, & Priuilegio intuitu meritorum Christi eius Filij Humani Generis Redemptoris à macula Peccati Originalis præseruatam immunem; non ergo Obiectum eius Festi est Sanctitas subsecuta ad Conceptionem, aut sanctitas dispositiua, aut sanctitas præscindens à primo, & secundo instanti, sed est sanctitas Præseruatiua, & primo instanti affixa. Vide 2.p. Art. I. per totum.

12 Duodecimus Radius disycit Tenebras eorum Codicum, seù Librorum, quibus sentētia Negatiua Peccati Originalis in B. Virgine in dubium vocatur: declarat enim Alexandrina Bulla confirmando, & inuocando Bullas Anteriorum Pontificum, eos Codices, & Libros non haberi pro veris. Vide Bullam Graue nimis Sixti IV. & 2.p. Art. X. huius Tract. versùs finem.

Quibus sanè Radijs sententiam Negatiuam, & Marianam Præseruationem illustrantibus eò deuentum est, vt intrepidè dicamus, Sanctissimum Dominum Nostrum Alexandrum VII. fauentissimum Marianæ Præseruationi sese declarasse, adeò vt, nisi prioribus verbis Bullæ, seù Clausulis, addidisset: *se nolle decidere*; pòsset satis efficaciter argui, & deduci, quòd Negatiua Sententia esset iam definita, & conclamatum de Opposita.

ILL.MO ET EXC.MO DOMINO

CAROLO MARIAE

ALAGONISSAE

Sępini Principi, Sancti Martini Duci &c.
Mœcenati Optimo.

AVGVSTINVS DE ANGELIS FÆLICITATEM.

QVI sub Luce nominis, Illustrissime, & Excellentissime Princeps, hoc Theologici pro Immaculata Virginis Conceptione propugnaculi Manuale prodit in lucem: vt vbi virtus, & splendor eminet, inde præsidium mutuet, ac ornamentum. Et sanè vix alibi mirabiliorem adinuenisset, quã in Alagonissis, cum animi fortitudinem, & sanguinis quæreret claritatem; Quam Tuis in Atauis, vel ipsis Terrarum ab Incunabulis illuxisse maximam, qui non videat, cæcutit in Sole: Tuos etenim Maiores, quos ingenita triumphandi familiaritas in vindicandis ex Barbarorum Tyrannide Hierosolymis gloriæ consortes habuit, ac triumphi, adeò fortes, adeò nobiles, Annalium monumenta testantur, vt inter Alagonissas non nisi Demiarcos reperire liceat, & Chiliarcos, quos profusa Gallicorum Regum humanitas, plurimis, & titulis, & donationibus

auctos, auratis quoq; lilijs exornauit, vt quorum in animis regiam mirabatur fortitudinem, eorum etiam cum stemmate gentilitiũ Regiæ Maiestatis consociaret argumentum. Hinc Carolus Dux Andegauensium primus, qui Neapolitanas sibi vectigales addiceret regiones ab inclytis Lugdunensium Penatibus Ioannem Alagonissam agnatum suum, & Atauum tuum, Princeps Excellentissime, ad hanc vsq; transtulit Vrbem, ac summum comparati Exercitus renunciauerit Imperatorem: & hoc Duce, hoc auspice, quam retulit, victoriam reportauit triumphalem, sexagenisq; victo in Regno, victorem oppidis, & vrbibus donatum voluit, vt præmium, & Regiam Caroli munificentiam, & eximium Ioannis meritum ostentaret. Hisce crepusculis, hisce crepundijs Parthenopęos inter equites, tua nituit, & nata progenies est, quę deinde tantis adoleuit honoribus, tantum excreuit in apicem, vt Andegauenses cum Alagonissis, à quibus Regnum acceperant, Regiam partitos crederes maiestatem? Indè nostram ad diem opulentissimas tuis cum Alagonissis nuptias non modo primas, ac huius Regni Principes omnes celebrasse familias, sed in ipsos Galliæ proceres, & Primates, regia cognatione deuinctissimos, maritalem Tuo cum sanguine contraxisse legimus affinitatẽ, vt penè nullum vbiq; gentium decus sit, quod Alagonissam non ornet domum, aut eximiam ab Alagonissis non referat nobilitatem. Nec Aragonijs hoc in Regno Florẽtibus, Alagonissarum minus effloruit claritudo: Quandoquidem nauale apud Caietam prælium, quod Alphonsum ad Capitolium verius, quam ad carceres extulit, ternos ex Alagonissis captiuos abstulit, vt aspicientibus, aut aduersantibus astris à Regum Latere Tuos nunquam Alagonissas abfuisse, glorieris. Inuictissimis tandem sub Austriacis, quorum diuturnius, & desiderabilius Imperium est, Tuos nouimus Domi, forisq; proauos nũc sago, nunc toga verendos extitisse; Supremosq; quibus vulgo septem Regni officia vocabulum est, obtinuisse Magi-

stra-

ſtratus, vt pleno copia cornu, tuos in Alagoniſſas ſuas effudiſſe videatur Dignitates.

Verùm quia bellicis non tantùm Laureis, at ſacris etiam Infulis Tuos gloria coronauit Gentiles, ne meum hoc epiſtolium excreſcat in Illiadem, vnicum Excellentiſſime Princeps, exhibeo Fabium Patruum tuum, cuius recens adhuc memoria, quia nuper exceſſit è viuis, ſuis nunquam moriturus in Faſtis. Hunc Paulus huius nominis Quintus primo iam iam adoleſcentiæ flore vernantê, vtriuſq; Signaturæ Referendarium initiauit, præcocemq; inuenis admiratus indolem, maturauit honores, ac Melitenſem ad Inſulam Apoſtolicum dimiſit Oratorem, honoreſq; verè tergeminans Romanam Auocatum in Aulam ſummum in ſupremo ſanctę Generalis Inquiſitionis officio ſtatuit Conſultorem. Quem Gregorius XV. opulentiſſimo Conſæ Archiepiſcopatu inſigniuit; Et Vrbanus Octauus, vt Eminentiſſimum Franciſcum Barberinũ à Latere Legatũm in Hiſpanias profecturum, digniore exornaret Comitatu, electiſſimos inter abeuntis ſui ex Fratre Nepotis Conſiliarios, Fabium enumerauit, Luſitaniæq; Collectorem edixit; quem inde eodem cum Legato reuertentem ad ampliſſimum Datariæ, pluriṁi momenti Magiſtratum, extulit, donec ad Belgas Nũtium deſtinaret; vt plurimis, ac peregrinis tantus Heros inſignitus virtutibus plurimas peregrinando Regiones illuſtraret. Ad Antiochenum deniq; Patriarchatum, & ſplendidiſſimam Pontificij Sacelli aſſiſtentiam promotus quieuit ab honoribus, quia vixit; Ad Purpuram, & vltra moritis aurigantibus progreſſurus, niſi plenius, ac perennius remunerandus euolaſſet è terris. Hoc è ſtipite, tantis è proceribus progrederis, & noſtro ęuo viges, Princeps Excellentiſſime, qui humanæ videris Finis intelligentiæ, abſolutio naturæ poſtrema, atq; ex omnium ſæculorum ingeniorumq; virtutibus collecta in vnum perfectio. In te ſuſpicimus memoriam rerum ab orbe condito proditarum, fœliciſſimam; ſtudium cognitionis exactum, vt pri-

 mis

mis cum Philosophis in exedris gloriosissimè decertis; bellicam autem, qua summis Imperatoribus in acie laudem contenderes. Ciuilem prudentiam, qua in regendo Xenophontis Cyrum exuperas: Dicam verbo: Disciplinarum omnium Societatem, & comprehensionem ad ornatum nominis sempiternum: Sed inter cęteras animi tui dotes, vt meum hoc Manuale te præcipuè, ac studiosius Patronum eligeret, Tua facit in Cęlites, & maximè Deiparam in Virginem Pietas, quam tuis ingenitam Gentilibus, & in Te copiosius hæreditario iure propagatam, testantur, Auitis olim in Feudis, partim extracta, & plenè dotata Cœnobia, quæ suos adhuc Patronos agnoscūt, & venerantur Alagonissas: Testatur antiquissimum illud erectum in Monte Virginis Sacellum, vbi tuorum quiescunt, & colliguntur cineres, etiam in sepulcro Mariana Religione feruentes, quod multis ditatam Sacerdotijs, nuperrimè tuus ille Patriarcha Fabius acerrimus Immaculatæ Conceptionis Romano in Foro Propugnator, quatuor, & quotidiè celebraturis auxit Sacerdotibus, ibiq; quotidianam Litaniarum Lithurgiam, & quidem in ipsa Virginis ara peragendam, testamento cauit; Testator munifica tuæ domus Religio, quæ cœnobitas omnes, & maximè Seraphicos, qui piam de Immaculata Sentētiam, & primi propugnandam protulerint, & Principes pugnacissimè tueātur, beneuolentiori foues humanitate, profusissimis vbiq; muneribus eleuas, Sępiniq; in Principatu Suis tantum alit impensis, & vinculis alligat humanitatis: Testatur demum Gentile tuis in Gentilibus Mariæ nomen, vt totam omninò vinctam, ac deuotam Virgini Familiam agnoscamus Alagonissam, quæ promiscuum hoc suis in Agnatis amat, & amplectitur caractem. Hoc igitur de Immaculata Virginis Conceptione, Propugnaculi Theologici Manuale tantis nominibus tuo debitum nomini, tibi studiosorum omnium Mæcenati, Princeps Excellentissime, voueo, quod ne tuis vnquam è manibus excidat, habes Manuale. Viue, & vale.

PIO

HAbes, Pie Lector, in Manuali hoc meo materiem eandem, eandem eruditionem, Lumina prorsus eadem, quæ in Propugnaculo Theologico Excellentissimi, & Reuerēdissimi D. LVDOVICI CRESPI, & BORGIA. quondam affulsere pro Definibilitate Sententiæ negatiuæ Peccati originalis in B. Virgine; enim verò si nudam formam, ac breuiorem differendi excipias methodum; nil omninò de meo satis paupere ingenij penu est additum, quia nimirum operi cæteroqui perfectissimo, omnibusq; numeris absolutissimo nil erat addendum. Adest enim in eruditissimo hoc, ac omnis armaturę fortium Theologorū instructissimo Propugnaculo, quicquid roboris, quidquid energiæ excogitari, aut desiderari vnquā potest pro Definibilitate proxima negatiuæ; Adsunt in eo Scripturæ Sacræ loca ad literam non tàm acutè, quàm dilucidè explanata; Ecclesiæ Antiqua traditio concludentissimè traducta; SS. veterum Patrū mens apertissimè explicata; Argumenta Contrariorum plenè soluta, planè dissipata; pleraq; retorta in Hyacinti Arpallegi maleferiatū caput; & quod hac in re potissimum est, & capitale, salua, & incolumi Sanctissimi Præceptoris Doctrina, saluis Thomisticis Principijs ità validè conclusum pro deffinibilitate huiusmodi proxima, vt nihil omninò ad definitionem ipsam deesse videatur, quàm solus Summi Pontificis Assensus. Verum tāta cùm Doctrina, cùm eruditione Theologica tanta, coniunctam inuenies qualibet in pagina spirantem, & flagrantissimam Deiparam in Virginem Pietatem; perspicies tanquam in exēplari tāti viri eximiam morum honestissimorum integritatem, adeò vt sicut illū in acumine Ingenij, Augustino, in Doctrinę mellea soliditate, Ambrosio, in Sacra eruditione, Hyeronymo, ità in Re morali Magno Gregorio facilè poteris cōparare. Viuit vir optimus Romę tot inter ambitiones illicia, alienus

ab ambitu, Regium Legationis munus, regali penè pompa, ac splendore, sed sinè fasto exequitur; fulget, ceù Sol minora inter sydera, exemplo penè incredibili Temperantiæ, Castimoniæ, cæterarumq; Virtutum, quas in Ecclesiastico Antistite commendabat Apostolus; nullus illi sermo iucundior, quàm de originali B. Virginis Innocentia, nullũ illi, nisi cum Viris ea de re instructissimis familiare commercium, nullos habet etiam inferioris ordinis ministros, quibus vel in ore, non emicet eximiæ specimen Pietatis in Virginem, Religiosi Cultus in Cœlites, in Deũ; haud vllum patitur præterire diem, quò non domestici omnes ad preces Sanctissimi Rosarij recitandas priuatũ in sacellum conueniant; vt propterea eius Domum, Religiosorum potius Cœnobium, quam secularis Aulæ Palatium meritò poteris compellare? Quòd *si habitationes seruorum, ordinationes ministrantium, vestesq; eorum* intueteris, si Sapientiam eius, si perorantem illum pro Immaculata, vel semel audires; verè quod olim Regina Saba de Salomone dixit, ediceres; *maior est sapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui.*

At nè tanti Viri etiam fragmenta Doctrinæ intercidãt, nè vel Cartula pereat ad huius Manualis coronidem apponendum duxi, Theologicum Discursum, breuem illũ quidem, sed Succi, & robustæ Theologiæ plenissimum, quo ex Sacri Tridentini Concilij exceptionibus Definibilitas Marianæ Præseruationis eruitur. Fruere, mi Lector, tam ingenti bono, & vale.

Ma.

Manuale hoc, sicut & Propugnaculum ipsum in duas Quæstiones diuiditur, & quidem

QVAESTIO PRIMA EST

De Medijs intrinsecis proximę Definibilitatis Sententiæ negatiuę Peccati originalis in Beata Virgine.

Habet decem, & septem Articulos.

IN Primo quæritur. An summus Pontifex in definiendis veritatibus Fidei aliquibus regulis teneatur.
In Secundo. An neutra opinio sit definibilis.
In Tertio. An ex determinatis locis Scripturæ colligatur definibilitas sententiæ negatiuæ.
In Quarto. An ex illo Gen.3. Inimicitias ponam &c. literaliter intellecto colligatur definibilitas negatiua.
In Quinto. An ex illo Cant.4. Tota pulchra es, & macula non est in Te, colligatur definibilitas negatiua.
In Sexto. An ex salutatione Angelica arguatur proxima definibilitas negatiua.
In Septimo. An ex illo Leuit.12. Mulier si suscepto semine &c. colligatur proxima definibilitas negatiua.
In Octauo. An benè pro Sacra Scriptura recta Ratio sufficiatur.
In Nono. An ex vi Traditionis colligatur proxima definibilitas negatiua.
In Decimo. An ex Præcedentium Pontificum Romanorum Decretis, & Bullis inferatur definibilitas negatiua.
In

In Vndecimo. An communis sensus SS. PP. sit pro negatiua.

In Duodecimo. An aliqui SS. PP. expressè fuerint pro Affirmatiua.

In Decimotertio. An aliqui SS.PP. fuerint pro negatiua.

In Decimoquarto. An S. Augustinus fuerit pro negatiua.

In Decimoquinto. An SS. Ambrosius, Hieronymus, *& Gregorius fuerint pro negatiua.*

In Decimosexto. An D. Thomas fuerit pro negatiua.

In Decimoseptimo. An si modo viueret S. Thomas mutaret sententiam.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Summus Pontifex in definiendis veritatibus fidei aliquibus Regulis teneatur.

1 VIdetùr quod sic. Primò quia. Summus Pōtifex non condit nouos Articulos fidei, sed declarat aliquam veritatem, vel cōtineri in sacra scriptura, vel haberi ex Traditione; sicuti quando aliquem Hominem canonizat, non facit sanctum, sed declarat, fuisse sanctum, & proponit fidelibus adorandum, ergo debet summus Pontifex habere pro sui regula, quando procedit ad definiendum, vel sacram scripturam, vel Traditionem.

2 Secundò quia. Dicta SS. PP. & testimonia Conciliorum sunt canales, quibus vincta est Purpura Regis, imò ipsum caput Regis, ergo quando procedit ad definiendū, debet ad huiusmodi dicta, & testimonia respicere, nam sāctorum dictis, si in sacra scriptura fundentur, postponuntur Decreta Pontificum.

3 Tertiò quia. Summus Pontifex in definiēda aliqua veritate debet non modò ad authoritatem scripturæ, & PP. attendere, sed etiam ad vtilitatem fidelium, nam sicùt Deus non facit omne possibile, ità summus Pontifex non debet definire omne definibile, sed id solùm, quod spectat ad vtilitatem, & instructionem fidelium.

4 Quartò quia. Summus Pontifex debet plures alias diligentias præmittere, tanquam dispositiones ad introducendam, vel educendam in subiecta materia formam definitionis; neque enim duci debet lumine naturali, nam veritates naturales, non sunt definibiles: nec debet moueri clamoribus populi, & precibus Principum, ergo statuendæ sunt regulæ, quibus tanquam terminis summus Pontifex in definitionibus cohibeatur.

5 Sed contrà est. Dicendum, & procedendum in hac materia cum distinctione, nam dupliciter potest summus

Pōtifex se accingere ad aliquam veritatem definiendam; & declarandam tanquam ab omnibus tenendam: Primò quidem validè: Secundò licitè; Et quidem vt validè definiat, nullis regulis adstringitur, nam potest rationibus animum suum mouentibus duci ad aliquam veritatem declarandam tanquam ab omnibus tenendam, itàvt oppositum tenentes veniant puniendi pœnis hæreticorum, tanquam de fide suspecti, ità factum est de absolutione data absentibus; vndè casu possibili, vel impossibili, quod temerè definiret, teneret factum, & res esset definita. Ratio est, quia infallibilitas rerum definiendarum dependet ex infallibili assistentia Spiritus sancti ex promissione Christi; & ideò non est alligata licitę actioni summi Pōtificis, sed eius declarationi cùm intentione definiendi, sicùt præsentia Christi in Sacramento Altaris non est alligata licitæ prolationi verborum formæ, sed eorum prolationi cùm intentione consecrandi ex promissione Christi, vi cuius etiam si sacerdos peccaret pronunciando verba temerè, & sacrilegè, adhùc Christus ponitur sub speciebus.

6. Vt autem summus Pontifex licitè definiat, debet veritas definienda, vel contineri implicitè in sacra scriptura, vel haberi ex Traditione, vel demum miraculis probari; quia si non daretur locus expressus sacræ scripturæ, vel Traditio certa, satis essent summo Pontifici miracula à Sede Apostolica approbata, Ecclesia enim, vt docuit S. Gregorius Magnus, miraculis aucta est, Christus Dominus se esse Messiam à Deo missum, miraculis probauit, S. Dominicus veritatem catholicam contrà Albigenses libello ter in ignem iniecto, semper illæso, probauit; Ecclesia ad sanctos canonizandos vtitur miraculis, quæ statim ac sūt ab Ecclesia approbata, perindè se habent, ac si coram sūmo Pontifice facta fuissent, & sanè in præsenti, cùm iam fundata Ecclesia sit, non debet dici via miraculorum extraordinaria, sed non ità communis.

7 Ad

7 Ad primum respondeo. Ad licitam definitionem requiri veritatem definiendam implicitè cótineri in scripturis, vel haberi ex Traditione, sed ad validam definitionem sufficit assistentia infallibilis Spiritus sancti ex promissione Christi, si velit summus Pontifex ad definiendum quidpiam accedere, vt de facto præstitit definiendo non esse licitam absolutionem datam absentibus per litteras.

8 Ad secundum respondeo. Teneri quidem summum Pontificem, & debere magnifacere dicta Veterum Patrũ, ità tamen, vt Recentiores non contemnantur, nam quãdo Veteres, vel absolutè loquuntur, vel inuicem non concordant, numquid è Sarcophagis euocandi sunt, vt se clariùs explicent, & sensus exponant, in quibus conueniunt? Tũc saltem adhibendi sunt Recentes, qui veteres declarent, & ad concordiam reuocent; neque verum est, quod addit argumentum Decreta Pontificia postponenda esse dictis SS.PP. fundatis in sacra scriptura, nam D.Thomas 2.2. q. 10. art. 12. docet oppositum, ait enim, *Maximam habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda, quia & ipsa doctrina catholicorum Doctorum ab ipsa Ecclesia authoritatem habet; vndè magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunque Doctoris*; Et sanè Pontificiam authoritatem præferendam esse omnibus Patribus etiam in Concilio existentibus, & ipsi Concilio docet Theologi omnes cùm Syluestro V. fides q. 6.

9 Ad tertium respondeo. Ad quidpiam definiendum non requiri vtilitatem fidelium, vel eorum instructionem, nam in sententia Arpalegi stante proxima definibilitate sententiæ negatiuę, satis probabile est, summum Pontificẽ peccaturum, si non definiret; tum sic, si adessent omnia requisita ad definitionem, & non esset vtilitas, & instructio fidelium, vel Pontifex peccaret non definiendo; vel non peccaret; si peccaret, ergo vtilitas fidelium non est requi-

sita ad definitionem; quia ea non stante, tenetur summus Pontifex definire. Si non peccaret, ergo vtilitas fidelium non requiritur; & reuera, vt hic, & nunc Pontifex definiat, nihil aliud requiritur, quàm quod uelit definire, & ideò nō definit omne definibile, quia non semper uult definire, sicùt ideò Deus non facit omne possibile, quia non semper habet uoluntatem faciendi omne possibile. Verùm adesse etiam utilitatem fidelium in huius articuli definitione, probabimus infrà.

10 Ad quartum dico. Nec lumine naturali duci summum Pontificem, nec ueritates naturales definire, si sint purè naturales, & non contineantur in sacra scriptura; At si ueritates naturales contineantur in sacra scriptura, non excedunt pontificiæ terminos definitionis. Verùm quando definiuntur, non definiuntur per medium naturale, quod uel ducit in cognitionem incertam, uel in cognitionem certam, & euidentem, quod utrumque repugnat definitioni Fidei. Ad illud, quod addit Argumentum de clamoribus populi, & precibus Principum; planum est, in canonizationibus Sanctorum attendi famam sanctitatis, frequentiam populorum, eorum uoces, & uota ad eorum sepulchra; nec unquam solet summus Pontifex ad canonizandos Sanctos accedere, nisi præmissis precibus, & instantijs alicuius magni Principis.

ARTICVLVS II.
An neutra opinio sit definibilis.

1 VIdetur quod sic. Primò quia. Stante ueritate sacræ scripturæ utraque pars iuxtà pontificia decreta, post tot factas intelligentias tutò, & sinè periculo defenditur, neutraque pars conducit necessariò ad instructionem fidelium, & uitam æternam, sed iuxtà Augustinum huiusmodi propositiones sunt non definibiles, ergo.

go. Maior probatur, quia si aliquid obstaret parti negatiuę, maximè quia non uidetur saluari, quod omnes in Adã peccauerunt, & alia loca scripturæ, sed ex Concilio Tridentino constat in decreto de peccato originali his propositionibus Fidei non contrariari euidenter sententiam negatiuam, & cum eis componi: ex altera etiam parte nullus scripturæ locus assignatur, cum quò optimè non componatur sententia affirmatiua, ergo stante ueritate sacræ scripturæ utraque pars tutò, & sine periculo defenditur. Minor probatur ex uerbis Sancti Augustini lib. 2. contrà Pelag. & Cælest. c. 23. ubi ait, dari aliquas ueritates, in quibus salua fide, qua christiani sumus, aut ignoratur, quod verum est, aut sententia definitiua suspenditur, aut aliter, quàm est, humana, & infirma suspicione conijcitur.

2. Secundò quia. Non expedit, quod Ecclesia in medium proferat nuditatem matris suæ iuxtà illud Leuitic. Turpitudinem patris, uel matris tuę non reuelabis. Et qui reuelauerit turpitudinem patris sui, uel matris suæ, morte moriatur.

3 Tertiò quia. Contrà communem sententiam Patrũ; præsertim si fundantur in sacra scriptura, non potest quidpiam definiri ab Ecclesia, sed communis sẽsus PP. stat pro affirmatiua, ergo negatiua non potest definiri.

4 Quartò quia. Non expedit definiri negatiuam, nam si ad aliquid cõduceret ista definitio, esset, quia ex illo cresceret deuotio fidelium; at si humano modo loquendum est, non cresceret, neque quò ad gratias, & indulgentias, neque quò ad frequentiam Sacramentorum, neque quò ad solemnitatem exteriorem, quæ continuò fit stante controuersia, & ea cessante tepesceret deuotio in Virginem, ergo.

5 Quintò quia. Definitio huius controuersiæ non spectat ad vtilitatem fidelium, sed potius ad curiositatem; ergo à tali definitione abstinendum; patet ex facto Christi Domini Matth. 23. nam interrogatus à Petro Dominus,

quo-

quoties deberet fratri dimittere,statim Christus respondit, *Non dico tibi septies,sed septuagies septies*; interrogatus verò de Ioanne,hic autem quid, non statim respondit, sed potius de interrogatione reprehendit, *Quid ad te*; vt sic Petrus tanquam Primus Pontifex Ecclesiæ, Vicariusque Christi Domini edoctus remaneret pro se, & successoribus informatus, quod circà ea, quę sũt necessaria ad mores,statim responderet,definiret,decerneret; non verò circà ea, quæ talem necessitatem non continent.

6 Sextò quia.Si iste articulus esset definibilis,maximè quia Paulus V.& Gregorius XV.cùm imposuissent silentium parti affirmatiuæ,dixerunt, *Donec iste articulus fuerit definitus*,sed hoc non probat, quia etiam dixerunt, *vel aliter fuerit ordinatum*;cæterum ad veritatem disiunctiuæ sufficit verificatio vnius partis,vt liberum campum relinquerent dicentibus,neutram partem esse absolutè definibilem, quamuis de vtraque Ecclesia potuerit aliter ordinare. Secundò sicùt per illa verba Matth.1. *Non cognouit eum, donec peperit*,teste Hieronymo non infertur,quod Ioseph posteà eum cognouerit,sed scriptura, quid factum non sit, ostendit;sic similiter ex illis verbis, *Donec iste articulus fuerit definitus*,nõ sequitur,quòd sit definibilis,vel posteà definiendus,sed summus Pontifex, quid usque hùc non fuerit definitum,nè aliqui decipiantur,fidelium auribus intimat. Tertiò quia; esto summus Pontifex possit definire hunc articulum decidendo vnam partem esse probabiliorem altera,nunquam tamen vnam,vel alteram statuet tanquam de fide,nam simili modo de Quæstione; an paruulis infundantur habitus supernaturales in Baptismo, pars affirmatiua definita est,tanquam probabilior,non tanquam de fide,

7 Sed contrà est Dicendum, Partem negatiuam esse definibilem, libenter enim, & vltrò admitto, partem affirmatiuam definibilem non esse.

8 Probatur quia.An B.Virgo fuerit exempta à generali regula incursionis peccati originalis pertinet ad causam mediatoris Dei,& hominum Iesu Christi, & ad causã primi parentis,vt veritates pertinentes ad hos duos homines esse definibiles, & pertinere ad fidem,docet D.August. loco vbi supra c.24.vbi ait. *Quia in causa duorum hominũ tota fides christiana consistit, quorum per vnum venundati sumus sub peccato,per alium redimimur à peccatis*: ergo negatiua sententia est definibilis,docet enim B. Virginem esse Adæ filiam,& tamen per gratiam Iesu Christi Saluatoris immunem fuisse à peccato.

9 Ad primum respondeo.In primis,quòd licèt in materia de auxilijs vtraque pars tàm ea,quæ affirmat, quàm ea,quæ negat physicam prædeterminationem,tutò defendatur,tamen vtraque est definibilis,ergo etiam dato,quod vtraque sententia Affirmatiua, & Negatiua de Immaculata Conceptione tutò defendatur, non propterea sequitur,quod neutra sit definibilis.

10 Deindè dico. Non æquè tutò defendi vtramque sententiam,nam sententiæ affirmatiua non potest palàm, & publicè prædicari sub grauissimis pœnis, & censuris, imò vt priuatim inter se se possint Patres Dominicani de illa agere,indiguerunt dispensatione,quam à SedeApostolica multis precibus impetrarunt; imò dato, & non concesso,quòd vtraque sententia æquè tutò defenderetur,non proindè altera pars definibilis non esset, nam de omni veritate definita fuit,verum dicere,quòd vtraque pars posset tutò defendi,donec ad definitionem perueniretur: patet inductione;nam primò Patres Græci æquè tutò defendebant,Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere, sicùt Latini Spiritum sanctum procedere à Patre, Filioque, donec in Concilio Florentino definitum est,procedere ab vtroque:S.Cyprianus æquè tutò defendebat, Baptismum collatum ab Hæreticis nullum esse, donec cõtrarium fuit

de-

definitum. Mendacium esse licitum tutò defendebatur à D. Hieronymo, & alijs Doctoribus, donec oppositum fuit definitum. Absolutionem collatam absentibus validam esse, tutò defendebatur, donec à Clemente VIII. oppositum est definitum: Tutò defen debatur à D. Th. & suis, clericum alterius interfectorem cum moderamine inculpatæ tutelæ esse irregularem, donec iure nouo contrarium fuit determinatum.

11 Quòd si à contrario sensu argumentari liceat, sic discurro. De factò non æquè tutò defenditur, Beatam Virginem fuisse assumptam, & non fuisse assumptam in Anima, & Corpore, & tamen Aduersarij volunt, B. Virginem fuisse assumptam, peruenisse ad statum proximæ definibilitatis; non æquè tutò defenditur, paruulis in Baptismo conferri, & non conferri habitus infusos, & tamen per aduersarios affirmatiua sententia non est proximè definibilis tanquam de fide, quia solùm est definita tanquam probabilior; ergo licèt non vtraque sententia de Immaculata Conceptione tutò defendatur, potest tamen altera esse definibilis, & pariter, licèt vtraque tutò defenderetur, non proindè neutra esset definibilis; neque verum est, neutram conducere ad instructionem fidelium, & vitam æternam, vt patet ex dictis suprà, spectat enim ad fidem, & consequenter ad instructionem fidelium, & vitam æternam.

12 Ad auctoritatem D. Augustini dico; ibi D. Augustinum loqui de propositionibus definibilibus, de quibus intantum sententia definitiua suspenditur, inquantum ignoratur, quod verum est, haud aliter quam est, humana, & infirma suspicione conijcitur, vndè potius doctrina D. Augustini est contrà Aduers. quam contrà nos.

13 Ad secundum dico, ex eo probari, non expedire, quod definiatur affirmatiua; hæc enim est, quæ reuelat nuditatem matris suæ, idest, B. Virginis, non negatiua.

14 Ad tertium dico; ostensuros nos infrà ex SS. PP.

vel vnum non esse, qui faueat sententiæ affirmatiuæ, saltē in eo sensu, quo asseritur ab Aduersarijs.

15 Ad quartum Dico per accidens, & occasione æmulationis vigente controuersia augeri deuotionem, & zelū ergà Beatam Virginem in suis deuotis, & defensoribus; at controuersia sublata per vltimam decisionem per se, & longè altiùs radices in cordibus fidelium figeret christiana pietas, & deuotio; imò extensiuè magis cresceret, augereturq; quia vel in ipsis Aduersarijs ea pietas locū haberet.

16 Ad quintum etiam patet ex dictis suprà, hanc litis decisionē non ad curiositatē, sed ad causam fidei spectare.

17 Ad sextum Dico. Quod non in omnibus Bullis legitur illa disiunctiua, *vel aliter fuerit ordinatum*: nam in bulla eiusdem Pauli V. quæ incipit, *Regis Pacifici*, & in bulla Pij V. quæ incipit, *Super specula*, non habetur illa disiunctiua; præterea vt verificetur disiunctiua, vtraque pars debet esse possibilis, vndè ista, Petrus ibit Romam pedibus, vel alis, non potest tanquam disiunctiua verificari; quia non eiu svtraque pars est possibilis verificari, altera enim pars est impossibilis, quod quidem certiùs est in dispositionibus, & decretis Iuris, in quibus conditio impossibilis habetur pro non opposita; deindè si argumētum valeret, sequeretur, veram esse illam disiunctiuam; etiam si Ecclesia non posset aliter ordinare, verificaretur enim altera pars, nempè quod posset alteram definire, quo nihil absurdiùs. Ad illud, quod dicitur de particula, *donec*, ista non semper habet eumdem sensum, nam quando coniungitur cùm verbo de præterito, significat, quod non sit factum; at quando coniūgitur cùm verbo de futuro, non significat futurum non esse illud, quod hucusque factum non est; patet manifestis instantijs; nam Gen. 49. dicitur, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, donec veniat, ex quo non sequitur Messiam nunquam mittendum. Psal. 104. *Ferrum pertransijt animam eius, donec veniret verbum eius*. Ex quo non sequitur Iose-

phum nunquam educendum de ferro;at Tò *donec*, in casu nostro coniungitur cùm verbo de futuro, *Donec iste articulus fuerit definitus*, ideò significat fore aliquādo definiēdū.

18 Ad id,quod tertio loco dicitur, posse alteram partem, vt probabiliorem, sed non vt de Fide definiri. Respondeo, quod attenta auctoritate summi Pontificis æquè posse definiri negatiuam, vt probabiliorem, & vt certā; præsertim quia in sententia Arpalegi, contrà quem agimus, potest peruenire progressu temporis ad eum statum, in quo est sententia de infusione habituum paruulis in Baptismo, & sententia de Assumptione B. Mariæ Virginis, quæ vtraque est definibilis, tanquam certa de fide; & plerique existimant, eam, quæ est de infusione habituum, esse definitam in Concilio Tridentino.

ARTICVLVS III.

An ex determinatis locis scripturæ colligatur definibilitas sententiæ negatiuæ.

1 Videtur quod non. Primò quia. Constat in scriptura, & lege Diuina obligationem non solùm ad debitum, sed etiam ad contractionem peccati originalis in propria persona, & colligitur ex Trident. sess. 5. & D. Thoma pluribus locis, præsertim 1.2.q.81.art.3. vbi docet, *Oppositum esse erroneum, vel contrà fidem.*

2 Secundò quia. Ex locis scripturæ non colligitur priuilegium, quo excipiatur B. Virgo à contractione peccati originalis; patet primò ex illo ad Rom. 3. *Non est distinctio, omnes enim peccauerunt*, vbi per Tò *omnes peccauerunt*, non solùm colligitur, lex obligans omnes ad peccatum, sed de facto, omnes peccauisse, nullumq; fuisse exemptum, & per consequens nullum de facto esse priuilegium, sicut per Tò *non est distinctio*, adiuncta illa causali, *omnes enim*, videtur excludi illa communis distinctio; contraxit peccatum ex.

vi legis concedo, ex vi priuilegij, nego. Patet secundò ex illo ad Corinth. 5 *Charitas Dei vrget nos, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, ergo non potest ostendi priuilegium, hoc enim opponeretur verbis citatis Pauli; patet tertiò ex illo Eccles. 7. *Virum de mille vnum reperi, mulierem autem ex omnibus non inueni*, quæ scilicet esset sine omni peccato, saltem originali, vt hunc locum explicant Cardinalis Hugo, & S.Tho. lect. 4. in epist. ad Galatas.

3 Tertiò quia. D. Augustinus lib. 6. contrà Iulianum docet, Christum non esse mortuum, nisi pro ijs, qui erant mortui peccato, idque voluisse Apostolū docere illis verbis; *Si vnus pro omnibus mortuus est*, &c. vt intelligantur, concludit Augustinus, omnes mortui, si vnus mortuus est pro omnibus.

4 Sed contrà est Dicendum. Ex determinatis locis scripturæ colligi diffinibilitatem negatiuæ sententiæ.

5 Probatur primò. Quia si talis definibilitas non colligeretur ex determinatis locis scripturæ, maximè quia constat ex Conc. Trid. loc. cit. & ex S.Tho. in scriptura, de lege inducente obligationem ad contractionem peccati originalis; at hoc est falsum; Primò quia. Concilium loc. c. de pecc. orig. declarat, nōn esse suæ intentionis comprehendere in illo decreto generali B. Virginem, at si constaret in scriptura de illa lege quò ad actualem contractionē, itá vt oppositum esset erroneum, vt dicitur ex D. Thoma, nō potuisset Concilium non habere intentionem comprehēdendi B. Virginem, quia aliàs esset intentio erronea, & contrà fidem, ergo.

6 Probatur secundò quia. Ex Concilio colligitur regula generalis, quod in Baptizatis remaneat fomes peccati, & tamen in sententia D.Th. non est erroneum, sed satis probabile, in Beata Virgine fuisse prius ligatum, deindè totaliter extinctum fomitem peccati.

7 Probatur tertiò quia. Ex S.Thoma 1.2.q.81.cit. art. 3. ad primum, sufficit ad veritatem illius legis concedere obligationem ad debitũ, licèt eximatur aliquis ab actuali contractione in propria persona, quia actualis incursio est pœna, quam Deus potest condonare, quo eodem modo explicat S.Thomas illud, *Omnes mortui sunt.* Ait enim, *Etsi non moriantur, est tamen in eis reatus mortis, sed pæna confertur à Deo, qui etiam peccatorum actualium pænas condonare potest.*

8 Probatur quartò quia. Est etiam regula generalis; non remittendi peccatum originale, nisi per baptismum iuxtà illud; nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c. & tamen docet S. Thomas id intelligi secundùm legem communem, cui Deus non alligatur, itàut non possit, quos voluerit ab ea eximere, ergò.

9 Probatur quintò quia. Sponsa, & mater Regis non tenentur legibus populi coactiuè, vt patet ex l. Princeps, ff. de leg. Augusta, licèt legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem priuilegia illi concedit, quæ ipse habet. ergò ex priuilegio Christi colligitur priuilegium matris, quod patet ex illo Esther, *Non pro te, sed pro omnibus posita est lex*, vt ostenderet Deus illo facto figuratiuè esse exemptam B. Virginem, nam ait S. Augustinus, sicut humana consuetudo verbis, ità Diuina Potentia factis loquitur.

10 Neque dicas primò. Ad exemptionem matris requiri, vt constet de mente Principis, ideò requiri scripturam, vel traditionem de tali exẽptione B. Virginis ab originali; nam statim, ac constat, quod sit mater, vel sponsa, constat de mente Principis, ità illam legem intelligunt ibi Iurisconsulti; & in l. si quis ingenuè 21. ff. de captiuis, & post liminio.

11 Neq; dicas secundò. Ex Fenestella, & Valerio Max. constare, sumptam esse vindictam de vxoribus; nam casus tenet, quando vxores peccabant in fidem marito debitam.

12 Neque tertiò obstat. Quod Saul *voluerit* punire Ionatham filium,quia transgressus fuerat legem communem,eadem est autem ratio de filijs,ac de matre; nam populus contradixit Sauli uolenti Ionatham punire, ductus eo motiuo,quia erat filius.

13 Neque quartò dicas. A facto Esther nō posse quicquam deduci in consequentiam, quia quæ à lege exorbitant,in consequentiam non possunt deduci: nam nos non deducimus in consequentiam, quasi aliquid diuersum inferamus, sed dicimus, quod persona Esther figuratiuè fuit ipsa Beata Virgo illo facto exempta à lege communi;tum quia quæ à lege exorbitant, non sunt deducenda in consequentiam ad omnes vniuersaliter,sed benè possunt deduci in consequentiam ad aliquem casum similem.

14 Neque dicas. Legem Assueri fuisse conditionalem, legem autem ab Apostolo promulgatam de contrahendo originali fuisse absolutam. Nam primò patet ex illis verbis, *Non pro te,sed pro omnibus*,legem Assueri fuisse absolutam. Deindè etiam lex Apostoli est conditionalis, nā omnes leges,pacta,promissiones Dei, implicitè semper conditionem includunt;quod patet pluribus exemplis, quæ quia notoria,& passim à sacris Interpretibus inculcata, breuitatis gratia omittuntur.

15 Ad primum respondeo, Satis patere ex probationibus positæ conclusionis, legem generalem esse de debito contrahendi,non de actuali contractione.

16 Ad secundum respondeo. Et quidem ad primum locum Apostoli; ibi Paulum loqui tam de peccato originali,quàm de actuali,vt est plurium Doctorum opinio, & patet ex textu;dicit enim,omnes peccauerunt, & egẽt gloria Dei,siuè sint Iudæi, siuè Græci, siuè Gentiles,quia extrà Christi fidē,& Ecclesiā non est salus; sicut ergo Beata Virgo,his verbis Pauli non obstantibus eximitur à peccato actuali, quin ostendatur priuilegium ex ipsa scriptura;

quò ad

quò ad hoc, nisi per verba generalia, ex quibus per illationem infertur; vt sunt, esse matrem Dei, esse Gratia plenam; ità ijs non obstantibus eximi debet à peccato originali; neque enim locum habet distinctio, quòd valeat eximere Virginem ab actuali, & non ab originali, quia ait ibi Apostolus, non est distinctio; & dato quod cit. locus intelligatur de peccato orig. tantùm, & quò ad ipsius contractionē, adhuc stat, verè dixisse Apostolum, *omnes peccauerunt*, quāuis aliquis vi priuilegij eximatur; primò quia, vt notat Ioannes à S. Thoma hæc duo non pugnant; quòd ex vi legis omnes sint comprehensi, & ex vi priuilegij aliquis sit exceptus, imò ex vi priuilegij supponitur oppositum deberi ex vi legis, alioquin priuilegium non esset, si ab vniuersalitate legis non exciperet; & confirmat ex illo Esther 15. *Non pro Te, sed pro omnibus hæc lex lata est*; vbi conuenientiùs videbatur dicendum, *Non pro Te, sed pro reliquis*, non autē dixit sic, *sed pro omnibus*, vt daretur intelligi optimè stare; quod lex sit pro omnibus vniuersaliter, licèt non sit pro aliquo ex vi priuilegij. Secundò quia, particula, *omnes*, non semper in scriptura significat omnes nullo dempto, sed sæpiùs multos etiam nonnullis exclusis, probatur, quia Paulus ibidem affert illud ps. 52 *omnes declinauerunt*, & tamen aliqui erant iusti; probatur ex alijs similibus scripturæ locis. Matth. 26. *Omnes nos scandalum patiemini in me in ista nocte*; & tamen solus Petrus negauit. Gen. 6. *Omnis caro corrumperat viam suam*; & tamen multi cùm Noè iusti erant; & D. Augustinus illud Euang. *Illuminat omnem hominē*, eodem modo intelligit; *Non ità Deus illuminat omnem hominem, vt nullus sit, qui non illuminetur: sed quia nullus illuminatur, nisi ab ipso*. In Enchirid. c. 105. Tertiò quia D. Paulus non semper posuit illud, *omnes*, cum loqueretur de peccato originali vniuersaliter contrahendo, nam 5. ad Roman. cùm dixisset, omnes peccauerunt; subdit infrà, *Per vnius delictum peccatores constituti sunt multi*; secundus locus Abbacuc

postoli eandem admittit intelligentiam. Ad tertium locum scripturæ, quidquid dicat Card. Hugo, certè D. Thomas loco cit. excipit B. Virginem his verbis, *Excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria*, quæ verba licèt in aliquibus exemplaribus non legantur, omninò tamen sunt apponenda, quia sermo est de peccato originali, & actuali; certum est autem B. Virginem fuisse exemptam ab actuali, quamuis non habeatur expresse in scriptura, sufficit enim si scriptura, aut ratio non contradicat ex Suarez in opusc. vbi de hac materia.

17 Dices. De actualibus habetur priuilegim ex traditione, quia quando Tridentinum excipit B. Virginem à peccatis actualibus, vtitur hac phrasi; (*sicùt tenet Ecclesia*,) vbi per Tò tenet Ecclesia, importat traditionē iuxtà phrasim Apostoli, *Tenete traditiones, quas accepistis*.

18 Respondeo. Quod per Tò *tenet. Ecclesia*, non venit Traditio, quæ veniret, si Apostolus diceret, *Ecclesiam semper tenuit*. Vndè Tò *tenet*, idem valet, ac dicere, Ecclesia de præsenti ità existimat, quod etiam de Conceptione verificatur, quam Ecclesia nunc tenet, vndè verba Apostoli dicentis, *tenete traditiones*, non sunt ad rem. Prætereà Concilium non facit, sed supponit traditionem, quæ ex Aduers. tunc habetur, quando à tempore Apostolorum nō sint Patres contradicentes alicui Doctrinæ, quæ propterea redditur definibilis; at sunt Patres, quamuis pauci, qui dicunt B. Virginem commisisse actualia, ergo non potest introduci Traditio circà exceptionem à venialibus; quòd si hæc potest introduci non obstante paucorum contradictione, ergo etiam potest introduci Traditio circà exemptionem ab originali, quamuis pauci contradicant.

19 Ad tertium Respondeo. Ex dictis satis clarum esse sensum D. August. explicantis illud, *Illuminat omnem hominem*, quia nullus est, qui non illuminetur; quo eodem modo S. August. intelligit illud Apostoli, sicùt per vnius de-

lis-

lictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitę, cùm enim Pelagius his verbis Apostoli vellet probare, quod sicùt non omnes iustificantur per Christum, sed solùm illi, qui credunt, ità non omnes condẽnantur per Adę peccatum, sed aliqui exempti sunt ab illo peccato absque gratia Christi; ait Augustinus; *Non planè testimonio isto probatur, quod vult, nam sicùt dictum est; sicùt per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, vt nullus prætermitteretur, sic in eo, quod dictum est, per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ, nullus prætermissus est; non quia omnes in eum credant, sed quia nemo iustificatur, nisi in eum credat; Itaque omnes dictum est, nè aliquo modo alio præter ipsum quisquam saluis fieri posse credatur, sicùt enim vno litterarum magistro in Ciuitate constituto, rectissimè dicimus, omnes iste hic litteras docet, non quia omnes eius litteras discant, sed quia nemo discit, nisi quem ille potuerit, sic nemo iustificatur, nisi quam iustificauerit Christus*; de quo etiam dicitur, quod pro omnibus mortuus sit, quia nullus est, pro quo Christus non est mortuus, nam & pro B. Virgine est mortuus, illam enim redemit morte sua præseruatiuè, quam præseruatiuam Redemptionem fuisse assertam ab Augustino, non est dubitandum, nam in illud ps. 85. Emisti ex inferno animam meã; *Emisti*, inquit, *quia liberauit à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris; quẽadmodum si medicus videat tibi imminentem ægritudinem corporis fortè ex aliquo labore, & dicat, Parce Tibi sic te tracta, requiesce, nam si non feceris, ægrotabis; si autem feceris, & saluus eris; benedices medico; liberasti me ab ægritudine, non in qua iam eras, sed in qua futurus eras.*

ARTICVLVS IV.

An ex illo Genesis 3. Inimicitias ponam &c. literaliter intellecto colligatur definibilitas negatiua.

1 Videtur quod non. Primò quia. Nullus ex antiquis Patribus, & Glòss. in Gen. hūc locum de B. Virgine ad literam interpretatus est, ergo ex hoc loco literaliter intellecto non potest deduci definibilitas negatiuæ.

2 Secundò quia. Iste locus in genuino sensu verificatur secundùm Patres de ipsa Eua, quæ per pœnitentiam delēdo peccatum à se commissum, contriuit caput Draconis, ergo sicùt verificatur de Eua, licèt anteà peccauerit actualiter, poterit verificari de B. Virgine, licèt peccauerit originaliter, actualiter enim non peccauit, & omnes hæreses interemit; & hac ratione id impletum fuisse intelligūt Patres qui hunc locum de B. Virgine intelligunt.

3 Tertiò quia. Dato, & gratis admisso, quod caput Draconis calcatum significet peccatum orig. adhùc verificatur in Maria contriuisse illud medio semine suo, qui est Christus, qui omnem Principatum debellauit, & sic calcata pedibus sui lucerna Verbi iuxtà illud, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, fuerit, vt nunquam actualiter peccauerit, postquam ab originali fuit purgata, & mundata per ipsum.

4 Sed contrà est Dicendum. Ex his verbis literaliter intellectis colligi proximam definibilitatem negatiuæ.

5 Probatur quia. Illa verba; *Ipsa conteret caput tuum*; intelligi de B. Virgine docent SS. PP. infrà citandi in resp. ad 1. & colligitur ex ipso textu, nam illa mulier dicitur conterere caput serpentis, inter cuius semen, idèst, Christū, & semen serpentis positurus erat Dominus inimicitias, sed hæc mulier est B. Virgo, de cuius semine est Christus;

ergo illa verba debent intelligi de B.Virgine., sed intantũ ea verba de Beata Virgine intelliguntur., in quantum illa non contraxit peccatum originale, nam per caput serpẽtis non intelligitur caput materiale, quo caret Diabolus, sed intelligitur peccatum originale, vt ait D. Augustinus cit. à Lezana, & Carthagena; *Subiectio peccati originalis caput est diaboli*; & per Tò conterere, intell gitur non contrahere, nam ex SS.PP. nonnulli, ipsis Aduersarijs vltrò fatentibus, vbi Vulgata habet, Ipsa, legunt, Ipse, vel, Ipsum, idest, semẽ mulieris, vt referatur ad Christum, qui sanè intantum potest dici, conterere caput diaboli. seù peccatum originale, inquantum non illud contraxit, nõ vero inquãtum contraxerit, & posteà ab illo purgatus, & mundatus fuerit, aut de illo actũ contritionis, & pœnitentię elicuerit.

6 Ad primum Respondeo. Ex antiquis PP. hunc locum de B. Virgine intellexisse Epiphanium tractat. contrà Anticomarianitas, Cyprianum lib. 2. contrà Iudæos c. 9. D. Augustinum lib. 11. de Gen. ad lit. Theodoretum, Hugonem, Victorem, & Rupertum Abbatem, qui in illa verba Cant. 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filiá Principis ait. Idcircò, Ancillæ, nempè Euæ calcaneum admorsum, quia discalceata erat, Tu verò, ò filia Principis probè calceata serpentis caput contriuisti. Deniq; Echius in serm. de Conceptione, intelligit illa verba de B. Virgine conterente in sui cõceptione caput diaboli, quod est peccatum originale. Esto Lutherus, Caluinus, Furlterus, alijq; Hæretici aliter sentiant. Videant Aduers. quos Ductores habeant, dum dicunt, de B. Virgine ea verba non intelligi.

7 Ad secundum resp. Ex SS.PP. Aduers. non contradicentibus per conterere caput intelligi contritionẽ præseruatiuam, quæ quia non potest literaliter adimpleri in Eua, quæ fuit Mariæ figura, necessè est, vt adimpleatur in Figurato, & in Maria, quia est regula D. Hieronymi ad illa verba Is. 16. Emitte Agnum Domine, & D. Augustini in

Præf. in Psal. 33. adimpleri, & verificari in figurato, quæ in figura adimpleri, & verificari non possunt, sic etiam multa, quæ de Salomone scripta leguntur, & de ipso verificari non possunt, in Christo Domino verificari, & adimpleri, communiter docent interpretes.

8 Ad tertium resp. Quod sicut in Christo verificatur contritio præseruatiua tàm quò ad originale, quàm quò ad actualia, ità debet quoq; verificari in Maria; & quia Aduersarij concedunt, verificari in Maria præseruatiuam contritionẽ quò ad actualia, concedant necesse est, verificari etiam quò ad originale, quia ex textu non colligitur vlla maior ratio, quòd verificetur contritio præseruatiua quò ad actualia, & non quò ad originale.

ARTICVLVS V.

An ex illo Cant. 4. Tota Pulchra es, & macula non est in Te; colligatur definibilitas Negatiuæ.

1 Videtur quod non. Primò quia nullus ex Antiquis SS. PP. qui Com. ediderunt in Cant. in sensu literali, & germano intellexit, ea verba de B. Virgine, vt præseruata ab originali, ergo.

2 Secundò quia. Ea verba ad lit. verificantur de Spõsa Salomonis, quæ aliàs dicitur nigra, sed formosa, quia quamuis pulchra, admittit aliquas maculas in partibus indignioribus, ergo. Vel ea verba verificantur de Ecclesia militante, & de Anima iusti, quæ licèt septies in die cadat, adhùc stat, quod sit tota pulchra, ergo quàmuis B. Virgo contraxerit originale, potest de illa verificari, quod sit tota pulchra.

3 Tertiò quia. De B. Virgine dicitur. Sub Arbore malo suscitaui Te; At B. Virginem suscitari, importat mortem præincursam, ergo in tantum verificatur, quòd B. Virgo fuerit tota pulchra, in quantum incurrit originale, & po-

ſteà fuit ab illo purgata, & mundata.

4 Sed contrà eſt Dicendum. Nimium ex illis verbis colligi proximam definibilitatem Negatiuæ.

5 Probatur primò quia. Ex regula tradita art. ſuperiori ex DD. Hieronymo, & Auguſtino ea verba debent literaliter verificari quò ad totalem pulchritudinem etiam per carentiam originalis de aliqua perſona, non niſi de B. Virgine, ergo. Minor probatur, quia iuxta originale Hebræum illud; *Tota pulchra*; habet vim comprehendendi omnes actus ſponſæ à primo inſtanti ſui eſſe, ſignificat enim totum, quod tuum fuit, pulchrum fuit; cui explicationi alludit S. Hieronymus ijs verbis, quę leguntur in Breuiario Hyſpalenſi; Quidquid in Maria geſtum eſt, totum puritas, totum veritas, totum gratia fuit.

6 Confirmatur quia. In Phraſi ſacræ ſcripturæ maculam non eſſe, eſt, maculam non contrahere, vndè illud Prouerb. 9. *Qui arguit impium, maculam ſibi generat*, explicant Maluenda, & alij Interpretes, *maculam contrahit*. Imò macula non eſſe in Te, non ſolùm ſignificat, maculam non contrahis, ſed etiam non contraxiſti, nàm in ſcriptura, ſicùt ponitur præteritum pro futuro ad ſignificandam certitudinem prophetiæ, ità ponitur præſens pro præterito ad ſignificandam exiſtentiam veritatis, maximè quia in textu Hebræo non habetur particula, *eſt*, legit enim, & macula non in Te, ità vertunt Pagninus, & Chaldæus, vbi particula, *non*, abſolutè poſita, malignantis naturæ cùm ſit, omne tempus reſpicit, & negat, facit ergo ſenſum; macula nunquam fuit in Te, ideòq; ex Rabinorum traditionibus adductis à Galatino additur; *Et macula originalis nec eſt, nec fuit in Te.*

7 D. Rabinorum teſtimonia paſſim commentitia deprehenduntur, & illa additio, *tota es, & fuiſti pulchra*, nimis violenta videtur, ergo.

8 Reſp. Rabinorum teſtimonia tùnc, & in eo caſu cômen-

mentitia deprehendi, quando, vt communiter solent, à scripturæ sensu exorbitant; at quando non dissonant à sacra scriptura, vt accidit in casu nostro, quasi salutem ex inimicis ea recipimus.

9 Ad primum nego. Eum locum ità intellexisse Idiotam, Carthusianum, Hugonem Cardinalem, & Victorinum, S. Thomam, Galatinum, Ildephonsum, Alanum Insulensem cognomento Doctorem vniuersalem satis antiquum, fatetur Cornelius à Lapide.

10 Ad secundum resp. hoc argumento non probari, ea verba verificari de B. Virgine, etiam si venialia admisisset, nàm verificantur per Aduers. de Sponsa Salomonis habente aliquas maculas, de Ecclesia militante, & Anima iusti non obstantibus peccatis actualibus, ergo etiam possunt simili modo, & forma verificari de B. Virgine.

11 Ad tertium resp. In sacra scriptura, suscitare, non semper significare, deperditum restituere, sed sæpiùs primum esse dare, ità notat Hieronymus Lauretius in Silua Alleg. ex illis, suscitabo tabernaculum, suscitabo Pastorem. Deindè illa verba significant suscitatam ad munus Maternitatis cum munere fæcunditatis, & Virginitatis, at Virgo non fuit suscitata ad Virginitatem post eius amissionem, ergo. Deniq; quia in textu græco pro, *suscitaui*, legitur, *segregaui*, *excongregaui*, vndè applicando hæc verba ad Mariam, sensus est; sub illo Arbore malo, in quo Crux est adumbrata; ibi corrupta est Genitrix tua Eua, inquantum arbor fuit scientiæ boni, & mali; ibi inquantum Crucem adumbrauit, segregaui, excongregaui Te ab illa multitudine, quæ simul cum matre peccato infecta est, & corrupta.

AR-

ARTICVLVS VI.

An ex salutatione Angelica arguatur proxima definibilitas negatiuæ.

1 Videtur quod non: Primò quia: Ea verba nō sūt dicta ab Angelo in primo instanti Conceptionis B. Virginis, sed in secunda sanctificatione, quando totaliter est deputata in matrē Verbi, ergo non est literalis explanatio, sed diuinatio, vel accommodatitia, & voluntaria quædam expositio, ac proindè nè dùm inualida ad conuincendam definibilitatem, sed etiam ad scholasticam disputationem.

2 Secundò, quia nullum ex verbis eius salutationis est, quod non reperiatur de alijs dictum in sacra scriptura, nàm in primis, *Aue*, erat antiquitùs communis salutatio apud Fideles ex 2. Epist. Ioan. & ex Euang. vbi Christus mulieribus dixit, *Auete*; Dominus tecum Virorum fortissime, dictum est Gedeoni. Iud. 5. Benedicta inter mulieres Iabel. Iudith. 13. Benedicta es Tu filia. Gen. 19. Inuenit gratiam coram Domino. 13. Gen. de Noè, & de Ioseph. Inuenit gratiam coram Domino. De Sancto Stephano in Actibus Apostolorum; plenus gratia, & fortitudine.

3 Tertiò quia: *Tò Inuenisti gratiam*, explicatur à D. Bernardo, quod inueneric gratiam maternitatis ferm. 4. de Assumpt. & patet ex textu, vbi statim additur; *concipies enim, & paries.*

4 Quartò quia: *Aue*, solùm in lingua latina significat sinè væ, non in lingua Syriaca, qua locutus est Angelus, qua dicitur, *Sclom lechi*; ergo.

5 Sed contrà est Dicendum. Ex Angelica salutatione efficaciter colligi diffinibilitatem negatiuæ. Probatur explicando singulas particulas iuxtà mentem SS. PP. nàm in primis in illud, *Aue*, canit Ecclesia, mutatum esse Euæ

no-

nomen, per quod significatur; maledictionem Euæ esse per Mariam exclusam, vel Mariam non attigisse; In illud, *Gratia plena.* Ait Athanasius cit. à Gloss. Idcircò gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret, & virtute Altissimi obumbraretur; quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido. In illud, *Dominus Tecum.* Ait S. Augustinus serm. 2. de Annunt. Tecum Dominus in Corde, Tecum in ventre, Tecum in vtero, Tecum in auxilio. In illud, *Benedicta Tu in mulieribus.* Ait Sophronius plus benedicta, quam omnes mulieres, ac per hoc, quidquid Maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ. Tandem in illud, *inuenisti Gratiam.* Ait S. Thomas significari gratiam præseruatiuam ab omni peccato, saltem actuali.

6. Probatur secundò quia. *Τὸ Aue*, significat carentiam triplicis culpæ; originalis, mortalis, & venialis. Gratia plena, idest, omni genere gratiarum tàm præseruatiuæ originalis, & actualis, quàm sanctificatiuæ subiecti. Dominus Tecum, à primo Conceptionis instanti: Benedicta Tu, quia sola non incurristi labem originalem; Inuenisti gratiam, idest, præseruatiuam, quia aliæ gratiæ sanctificatiuæ ab alijs sunt inuentæ.

7. Ad primum resp. quod licet Angelus ea verba dixerit in primo instanti Conceptionis Verbi, non Mariæ, attamen ea verba non significant gratias, quas accepit in Conceptione Verbi, sed quas habuit à primo illo instanti, in quo est destinata Mater Dei, ideò ait Chrysol. serm. 146. quomodò non antè conceptum Mater, quæ post partum Virgo Mater, aut Genitrix, quando non, quæ sæculorum genuit auctorem. Et S. Thomas 3 p. q. 27. art 4. ideò probat, Virginem nunquàm peccasse, quia alias non fuisset idonea Mater Dei, qui & ad hoc probandum vtitur verbis Angeli, *inuenisti gratiam.* Deindè communis est

sen-

sensus SS. PP. In conceptione Verbi in B. Virgine fuisse extinctas reliquias peccatorum, ideo à D. Bernardo dicitur, quod in illo instanti, quod fuerit superplena Spiritu sancto, cùm anteà esset iam plena.

8 Ad secundum dico. Quod licèt singula ea verba alijs singillatim reperiantur applicata, simul sumpta, & collectiuè de nullo dicuntur, nisi de B. Virgine: Deindè quę alijs sunt communia, speciali ratione verificantur in Virgine, nā etiam æquè de Christo, ac de Sācto Stephano dicitur, plenus Spiritu sancto, & tamen hæc speciali ratione verificātur in Christo, idcircò præcepit Dominus dicens; *Scrutamini scripturas*, nam quæ in cortice literæ videntur alijs communia, in medulla sunt pro aliquo mysterio à Spiritu sancto dictata, vt fides magis elucescat, & confundantur, qui in primo literæ sensu veluti cæcutientes, & quasi ad parietem palpantes offendūt; hinc ait Francus Abbas cit. à Lezana c. 12. Dominus tecum, ò Virgo, non tantùm generali benedictione gratiæ, quæ cum cæteris sanctis est cōmunis, sed etiam singulari prærogatiua gratiæ; idem docet Thomas Bauxamis 1. tom in Euang. & S. Bernard. ser. in signum magnum.

9 Ad tertium patet responsio ex dictis ad primum.

10 Ad quartum Resp. sufficere, quòd in latina lingua, in qua est versio vulgata, *Aue*, significet sinè væ; præterquā quod etiam in lingua Syriaca, Tò *Selom lecbi*, ex Pagnino significat, Pacem sinè væ gladij, incolumitatem integram omni ex parte, & sinè vllo væ miseriæ.

ARTICVLVS VII.

An ex illo Leuit. 12. Mulier si suscepto semine &c. colligatur proxima definibilitas negatiua.

1 Videtur quod non. Primò quia B. Virgo non est comprehensa lege Purificationis ex defectu ma-

materiæ, non ratione specialis priuilegij; quia non suscepit semen viri, ideò ex hoc non licèt inferre priuilegium immunitatis ab originali.

2 Secundò quia. Aliud est loqui de Purificatione, aliud de Conceptione; esto enim B. Virgo non sit comprehensa lege Purificationis, non indè benè arguitur, non comprehensam lege contrahendi originale.

3 Tertiò quia. Si ex illa exemptione liceret arguere ad istam, maximè quia parere siuè dolore, siuè læsione Virginitatis est effectus connaturalis innocentiæ originalis, ideò olim mulieres tenebantur illa lege, quia pariebant in immunditia, & cum dolore in multam, & pœnam peccati originalis, sed hæc ratio non valet, quia parere sinè dolore, sinè immunditia, & læsione Virginitatis est distinctus Articulus à Conceptione de Spiritu Sancto, quia adest noua difficultas credendi vnum, & alterum, ergo parere hoc modo non est effectus connaturalis innocentiæ originalis, aliàs non poneretur tanquàm Articulus distinctus, Articuli enim distinguuntur ex distincta, & diuersa difficultate.

4 Sed contrà est dicendum. Ex hoc loco efficaciter colligi proximam definibilitatem negatiuæ.

5 Probatur primò quia. Per, τὸ suscepto semine, non intelligitur suscepto semine viri, sed sumitur semen pro filio, & ideò B. Virgo comprehensa esset sub lege Purificationis, nisi speciali priuilegio fuisset facta exempta ratione maternitatis Diuinæ, ergo à simili, ratione eiusdem maternitatis potest dici facta exempta à peccato originali.

6 Probatur secundò quia. Parere cùm dolore, cùm immunditia, & cùm læsione Virginitatis est effectus, & pœna peccati originalis, sed B. Virgo peperit sinè dolore, sinè immunditia, & sinè læsione Virginitatis, vt est de fide, ergo caruit peccato originali, ergo ex hoc loco colligitur proxima definibilitas negatiuæ, conclusio enim, quæ de-

ducitur ex vna de fide, altera naturaliter euidenti; vt eſt in caſu noſtro; eſt concluſio Theologica, & proximè definibilis de fide; ergo. Et quidem eſſe de fide, B. Virginem peperiſſe ſinè dolore, & læſione Virginitatis, eſt in confeſſo; quod autem hoc modo parere ſit euidens naturaliter, patet, quia ſequitur tanquam effectus naturalis à [illegible] cauſa naturali, ideſt, à iuſtitia, & innocentia originali, vt [illegible] D. Thomas.

7 Ad primum reſp. per [illegible] ſuſcepto ſemine, non importari, ſuſcepto ſemine viri, ſed per terminum illum ſemine, intelligi filium, vt patet ex illo Gen. 3. *Inimicitias ponam inter ſemen tuum, & ſemen illius.*

8 Ad ſecundum reſp. ex eo, quod fuerit exempta à lege Purificationis, benè argui fuiſſe exemptam à lege contrahendi originale, dupliciter; primò quidem à pari, quia à lege Purificationis fuit exempta ſpeciali priuilegio, quia Dei Mater; ergo etiam fuit facta exempta à lege contrahendi peccatum originale hoc ſpeciali Dei priuilegio, quia Mater Dei. Secundò, quia ea lege tenebantur mulieres, quia pariebant cùm immunditia, cùm dolore, & læſione Virginitatis, quæ erat pœna peccati originalis, ſed B. Virgo peperit ſinè dolore, ſinè immunditia, ſinè læſione Virginitatis, ergo fuit immunis à peccato originali, in quo enim non eſt pœna, neq; ſupponitur eſſe culpa.

9 Ad tertium reſp. Quod licèt parere ſinè dolore, & læſione Virginitatis ſit diſtinctus Articulus à Conceptione actiua; ſeù à Conceptione Verbi de Spiritu Sancto, vt patet, quia eſt diſtincta difficultas, & ideò ponitur tanquàm Articulus diſtinctus, cùm ex D. Thoma 2.2.q.5. art. 6. diſtincti articuli ponantur ex diſtinctis, & diuerſis difficultatibus, quas experimur in credendis diuerſis obiectis, tamen parere ſinè dolore non eſt diſtinctus Articulus à Conceptione paſſiua B. Virginis ſinè peccato originali, ſeù cùm originali innocentia, quia vnum ſequitur ex alio,

tan-

tanquàm effectus connaturalis à sua causa, sicuti Christum Dominum, Crucifixum, passum, mortuum, & sepultum ob connexionem naturalem, quæ est in ijs, vnum condunt articulum fidei; & licèt regulariter verum sit, vt vbi non est culpa, non sit pœna, tamen de absoluta potentia, vel etiam ex rationabili causa, potest Deus, vbi culpa non est, permittere esse pœnam, vt in Christo, & B. Virgine, vel propter exercitium virtutis, vel propter exemplum relictæ sunt quædam pœnalitates, quàmuis in ijs nulla fuerit culpa.

ARTICVLVS VIII.

An benè pro Sacra Scriptura recta Ratio sufficiatur.

1 Videtur quod non. Primo quia ex Augustino; si ratio contrà auctoritatem diuinarum scripturarum redditur, quantumlibet acuta sit, fallit vera similitudine, quia vera esse non potest, ergo.

2 Secundò quia Communis mos procedendi Dei est, reuelare per scripturam, vel traditionem, quando alicui concedit priuilegia, ergo standum est scripturæ, & traditionibus, & non est recurrendum ad rationes; hinc est, vt dicamus, nullum fuisse sanctificatum in vtero preter Hieremiam, & Ioan. Baptistam, quia de his solum constat ex scripturis.

3 Tertiò quia D. Augustinus Conc. 2. in ps. 20. tenet, scripturas veteris legis expressius loqui de Ecclesia, quàm de Christo, quia de Christo non erant tot lites, & quæstiones exoriturę, quot erant exorituræ de Ecclesia, ergo cum tot lites ortæ sint de B. Virginis Conceptione, quæ non sunt ortæ de sanctificatione S. Ioannis Baptistæ, debuisset expressius loqui de Cöceptione in scripturis, quàm de sanctificatione B. Ioannis Baptistæ, & tamen scripturæ de hac loquuntur, de illa non item, ergo.

 4 Quar-

4 Quartò quia. Si Ratio pro scriptura sufficeretur, posset S. Pontifex nouos Articulos condere, & augere, at hoc non potest dici, quia licèt vsq; ad Christum, Articuli Fidei creuerint, non tamen post Christum.

5 Sed contrà est dicendum. Deficiente loco scripturæ ad quidpiam probandum, potest recta ratio subrogari, & suffici.

6 Probatur primò quia. Ait S. Augustinus lib. de lib. arb. c. 5. *Quidquid Tibi vera ratione occurrerit, hoc scias fecisse Deum*, Et confirmatur, quia idem D. Augustinus lib. 4. de Vita Christi c. 8. ait. *Quid dicam, vbi scriptura nil commemorat, nisi quærendum ratione, quod conueniat veritati, fiatq; ipsa veritas Auctoritas, sinè qua neq; est, neq; valet auctoritas.* Idem docet ex S. Isidoro S. Thomas 2. 2. q. 90. art. 2.

7 Probatur secundò. Ex Epiphanio asserente, *nusquam aberrare à Scopo, qui de B. Virgine omnia gloriosa, & illustria dixerit.* Sed gloriosum, & illustre est, eam fuisse immunem à peccato originali; ergo.

8 Dices; si ista ratio valeret, posset etiam dici, B. Virginem carere debito remoto contrahendi originale; esse Conceptam de Spiritu Sancto, fuisse vnitam hypostaticè Verbo Diuino, quia hæc sunt illustria, & gloriosa.

9 Respondeo negando consequentiam; quia de his Priuilegijs nulla est auctoritas scripturæ, traditio, vel auctoritas SS. PP. quin imò est auctoritas in contrarium.

10 Probatur tertiò Conclusio, quia quod est conforme rectæ rationi, potest ab Ecclesia recipi, & definiri, vt patet de Assumptione B. Virginis, & de eius Virginitate; quæ non habentur ex scripturis, sed B. Virginem esse Conceptam sinè originali, est conforme rectæ rationi, ergo.

11 D. Virginitatem constare ex scripturis, Isaiæ 7. Ecce Virgo concipiet. De Assumptione autem adhuc non est de Fide definitum, quia de illa non est testimonium

scrip-

ſcripturæ, neq; traditio; eſto oppoſitum aſſerere; eſſet temerarium, quia contrà communem Theologorum ſenſum.

12 Reſp. Quod ex illo teſtimonio Iſaiæ non magis colligitur Virginitas Mariæ in ſenſu literali, quàm ex illo *Tota pulchra es*, colligatur Immaculata Conceptio, nam ideò *Tota pulchra es*, non ſignificat Immaculatam Conceptionem, quia in ſenſu literali verificatur de Eccleſia, vel de anima iuſti, quæ admittunt maculas, ſed etiam illa, ecce Virgo concipiet, ex Rabinis ſignificat puellam, quæ eſſet tùnc Virgo ex ſemine viri conceptura filiũ in ſignum victoriæ,& tamen Patres ex illo Iſaiæ efficaciter colligunt Virginitatem Marianã,non ſolùm ex editione vulgata,ſed etiam ex Idiomate Hebræo, nàm, Alma, ſignificat Puellam, quæ virum nũquàm cognouit, quod non poteſt verificari de Puella,quæ cùm eſſet Virgo,poſteà ſuſcepto virili ſemine peperit, ſicùt macula non eſt ei, vel maculam non contrahis, non poteſt verificari, niſi de Virgine,ergo ſi ex illo Iſaiæ colligitur Virginitas B. Mariæ, etiam ex illo *Tota pulchra es*, colligitur Immaculata Conceptio; vel ſi ex illo *Tota pulchra es*, non colligitur Immaculata Conceptio,neq;ex illo Iſaiæ;Ecce Virgo concipiet,colligitur Virginitas. Ad id, quod dicitur de Aſſumptione; ad minus ſequitur ex tali doctrina; Aſſumptionem B. Virginis forè definibilem, quia illa ſententia eſt definibilis, cuius oppoſita eſt temeraria, ſed oppoſita ſententia,quia contrà communem eſt temeraria, ergo ſententia de Aſſumptione eſt definibilis; ſed hæc ſententia non continetur in ſcriptura,ergo dato,quod Immaculata Conceptio non ſit in ſcriptura, adhùc erit definibilis.

13 Ad ſecundum reſp. Veriſſimè dicere Auguſtinum; quod ratio contrà ſcripturam non eſt ratio; at ſcriptura nil commemorat contrà Immaculatam Conceptionem, niſi fortaſsè afferas legem Vniuerſalem, quàm ſuprà ſatis,

ſuperq;

ſuperq; interpretati ſumus, ideò firmum ſtat valere ratio-nem pro ſcriptura.

14 Ad ſecundum reſp. Morem Dei reuelandi priui-legia eſſe per figuras, & vmbras veteris teſtamenti, ideòq; valdè obſcurè reuelari; vt cogamur ſcripturas ſcrutari: & ſanè haud clariùs colligitur ex ſcripturis ſanctificatio in vtero Hieremiæ, & Ioannis Baptiſtæ, quàm B. Virginis; nã illa verba, *Exultauit infans in vtero eius*, poteſt intelligi de exultatione corporali, vel ſanctificationẽ intelligi pro de-putatione, vel conſecratione ad aliquod miniſterium; & il-lud, *Antequam exires de vulua ſanctificaui Te*, hæbræus tex-tus legit, *ſegregaui*; quod eſt ſeparare ad aliquod miniſte-rium, ergo ſtante lege generali, quod omnes naſcantur filij Iræ, illa verba non poſſunt importare exemptionem Ioan-nis, & Hieremiæ à natiuitate in peccato, ſicùt ſtante illo, *Omnes in Adam peccauerunt*; nolunt B. Virgini concedere immunitatem ab originali; ſi ergo verba illa ſignificant immunitatem naſcendi in peccato originali in SS. Hie-remia, & Ioanne Baptiſta, etiam verba ſcripturæ ſupra-citata ſufficienter ſignificant exemptionem B. Virginis ab originali in ſui Conceptione; & ſanè ſpeciali Spiritus ſan-cti Prouidentia factum eſt, vt nullum ſit verbum ſcripturæ, quo ſignificetur ſanctificatio B. Virginis poſt Conceptio-nem, aliàs de hac lite iam conclamatum eſſet; & ſanè indè intelligeremus, eam fuiſſe ſanctificatã in ſui Conceptione.

15 Ad tertium dico. Quod quia pauciores ſunt lites de B. Virgine, quàm de Chriſto, ideò nil mirùm, ſi ſcriptura non ità expreſsè locuta ſit de priuilegijs B. Virginis; quia omnia concluſit ſub vno illo priuilegio Maternitatis, vndè ait S. Thomas de Villanoua concion. 2. de Nat. B. V. ſpecia-li Dei prouidentia factum eſt, quod Euãgeliſtæ nihil aliud de Maria dicerent, nè aliquo Priuilegio caruiſſe videretur; *Vbi totum erat, pars tribuẽda non erat, nè putaremus, quod ſcri-ptum non fuerat, ei forſitan defuiſſe.*

16 Ad

16 Ad quartum Respondeo. Quod & antè, & post Christum creuerunt articuli fidei non quò ad substantiam, sed quò ad declarationem, nam quæ priora Concilia non expresserunt, subsequentia nouis exorientibus erroribus declarauerunt.

ARTICVLVS IX.

An ex vi Traditionis colligatur proxima definibilitas negatiuæ.

1 Videtur quod non. Primò quia D. Bernardus epist. ad Lugdunen. loquens de Immaculata Conceptione B.M. Virginis ait, *quam non commendat antiqua Traditio*; ergo ex vi Traditionis non potest colligi proxima definibilitas.

2 Secundò quia Id habetur ex traditione, quod antiqui PP. à tempore Apostolorum vnanimi cõsensu docuerunt, & censuerunt tanquam dogma fidei, & doctrinam Catholicam ex Bannez, & oppositum asserentes tanquam de hæresi, vel errore acriter redarguũtur, sed ità non se habet Immaculata Conceptio B. Virginis, nam eius Festum non recipitur ab Ecclesia Romana, sed tãtùm toleratur in quibusdam Ecclesijs particularibus, ergo.

3 Tertiò quia Si sententia negatiua haberetur ex traditione, maximè quia huiusmodi traditio haberetur ex auctoritate Laminarum, seù librorum Granatensium illis verbis; Illa Virgo, illa sancta, illa præseruata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni culpa, & qui ità non censerit, non consequetur saluté æternam, sed ex ista auctoritate, & citatis verbis non elicitur antiqua Traditio, ergo. Minor probatur primò quia; auctoritas horum librorum est Apocrypha, eò quod, vt ait S. Augustinus lib. 1. cõ. Aduers. legis, & Proph. c. 20. occulta eorum origo Patribus non claruit, à quibus verarum scriptu-

fcripturarum ad nos auctoritas certiſſima, & notiſſima ſucceſſione peruenit. Secundò quia; Phraſis illa eſt valdè formalis,& ſcholaſtica, videtur ergo ad placitum Recentiorum conficta; Tertiò quia; falſitatem continent volumina illa,dicunt enim, quod qui Immaculatam Conceptionem non tenet, non conſequatur ſalutem æternam, & tamen certum eſt,Sanctam Catharinam Senenſem,& alios SS.fuiſſe pro affirmatiua, ideò afferentibus traditionem huiuſmodi poteſt dici cum Auguſtino contrà Donatum t.7.fo.1.objicitis Traditionem;reſpondemus,Vos feciſtis.

4 Quartò quia.SS.PP. qui primis quatuor ſæculis nimium extollentes Puritatem B.Virginis dixerunt,eam eſſe Angelis puriorem,fuiſſe ſuper omnes benedictam, liberam fuiſſe ab omni peccato,vel locuti ſunt per hyperbolē, vel locuti ſunt de ea Puritate,quam B.Virgo habuit in inſtanti Conceptionis actiuæ, & præſertim ità intelligendus eſt S.Cyprianus,quando dicit, Spiritu ſancto obumbrante incēdium originale extinctum eſſe,B.Virginem cum alijs communicare natura,non culpa.

5 Sed contrarium eſt Dicendum. Ex vi Traditionis Eccleſiaſticæ validè deduci definibilitatem negatiuæ.Dixi Eccleſiaſticæ, non Apoſtolicæ, quia ſi haberetur traditio Apoſtolica,iam eſſet de Fide,hæc enim inter alias eſt differentia inter Apoſtolicam,& Eccleſiaſticam Traditionē, quod illa oſtendit aliquid tanquam fidei dogma,& oppoſitum eius tanquam hæreſis eſt vitandum; hæc verò nō ità rigoroſè introducitur,& ità ab Eccleſijs admittitur, vt ab hæreticis etiam negetur;illa demonſtrat definitionē, hæc verò conducit ad definibilitatem.

6 Probatur ergo Eccleſiaſtica traditio de ſententia negatiua, quia à Iacobi prædicatione celebrari in Hyſpania feſtum Immaculatæ Conceptionis affirmat Flauius Dexter, & in antiquiſſimis Breuiarijs, & Miſſalibus inuenitur officium Immaculatæ Conceptionis, quæ omnia cū co-

tolerantia Ecclesiæ Romanæ introducere traditionem Ecclesiasticam nō potest negari, nàm Ecclesia in officio approbato S. Iacobi Apostoli approbat aduentum ipsius in Hyspaniam ex traditione Ecclesiarum Hyspaniæ, quam profectò traditionem non Apostolicam, sed Ecclesiasticam asserebat illis verbis, *Ecclesiarum illius Prouinciæ traditio est*, quæ verba in Breuiarijs modernis auctoritate Pontificia ablata sunt, & absolutè ponitur, Aduentus in Hyspaniam, vt propterea videatur Ecclesia Romana absolutè admittere, quæ anteà sola traditione Ecclesiastica erat receptum.

7 Nec obstat primò. Quod Ritus celebrandi Immaculatam Conceptionem inceperit in particularibus Ecclesijs, id enim non tollit, quod temporum continuatione introducta sit consuetudo traditionem inducens antiquitate fulcitam, accedente maximè admissione Ecclesiæ Romanæ, nàm multi ritus Ecclesiastici hoc modo introducti, ab Ecclesia Romana acceptati, & tanquam traditione Ecclesiastica roborati sunt, ità sunt commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, litaniæ Sancti Marci, & alia huiusmodi, vt apud Baronium tùm in notis ad Martyr. Rom. tùm in Annal. videre est.

8 Nec obstat secundò. Quod aliqui PP. sint in contrarium, nàm primò hi PP. non negant tolerantiam Ecclesiæ Romanæ. Secundò per Aduers. Ecclesiastica traditio est, B. Virginem fuisse immunem à peccatis venialibus ex eo, quia Tridentinum dicit, *Ecclesia tenet*; & tamen non pauci SS. PP. sunt in contrarium.

9 Ad primum resp. S. Bernardum loqui de traditione Apostolica, non Ecclesiastica, quam assero.

10 Ad secundum resp. Bannez loqui de traditione Apostolica, non Ecclesiastica, ad quam sufficit, quod aliqua consuetudo priùs introducta in Ecclesijs particularibus, posteà tolerata, antiquitate firmetur, & tandem ab

Ecclesia Romana acceptetur, quod omne completè impletur in festo Immaculatę Conceptionis.

11. Ad tertium resp. Quod licèt auctoritas eorum librorum sit Apocrypha, non sequitur, quod nullius sit momenti, sed solùm, quod non sit Canonica, & aliàs benè fit, quod maximi sit momenti, & ponderis, vt etiam sunt duo libri posteriores Esdræ. Nec obstat, quod phrasis illorum voluminum sit formalis, & scholastica, dummodò verè is sensus insit ijs voluminibus, & libris Granatensibus, qui sanè haud vllam falsitatem continent, quamuis affirmatiuam tenentes, consecuti sint vitam æternam; nàm in pluribus Sanctis id contigit, vt antè definitionem, vel communem sensum Ecclesiæ, contrariam opinionem tenuerint absq; propriæ salutis iactura, vt patet de Sancto Cypriano tenente, Rebaptizandos esse Hæreticos, de Sancto Hieronymo tenente mendacium esse licitum.

12. Ad id, quod olim Donatistis obiecit Augustinus, *obijcitis traditionem, Vos fecistis*; magna æquiuocatio est, nàm per traditionem intelligit ibi S. Augustinus proditionem comissam ab Episcopis Numidię, qui cùm sacros Codices impio edicto cedentes tradidissent, simul fędere iuncti, nec dolore tanti facinoris perculsi, se innocentissimos professi sunt, & innocentes Episcopos, ipsumque primę sedis Mensurium Carthaginensem traditionis labe conspersere; refert Baronius ad an. Christi 303. & ipsemet Augustinus lib. 1. contrà Epist. Parmeniani.

13. Ad quartum resp. De sensu SS. PP. infrà agendum esse. Quod autem ibi dicitur, SS. PP. loqui hyperbolicè, valdè est mirandum, nullum esse genus verborum, nullam posse excogitari phrasim, qua Immaculata Conceptio explicetur, & significetur ad palatum Aduers. nàm si gloriosa dicimus, hyperbolica sunt; si communia, & generalia, non probant, si clara, & expressa, sunt nimis scholastica, & formalia, ideòq; suspecta. Videat Deus, & Iudicet.

AR-

ARTICVLVS X.

An ex Praecedentium Pontificum Romanorum Decretis, & Bullis inferatur definibilitas Negatiua.

1 Videtur quod non, Primò quia praeter auctoritatem nouem Pontificum; scilicet, Innocentij I. II. III. Zeromi, Bonifacij, Honorij, Clementis V. & VI. Bonificij III. & Eugenij IV. quos referunt Bandellus, & Ianellus. Sixtus IV. Alexander VI. Pius V. Paulus V. Gregorius XV. & Concilium Tridentinum asserunt, non esse suę intentionis pręiudicium aliquod afferre sententię affirmatiuę, sed illam relinquere in suis terminis, & statu, quem habebat tempore Sixti IV. sed illo tempore vtraq; erat probabilis, & affirmatiua communior, vt videre est in Doctoribus antè Sixtum IV. ergo.

2 Secundò quia Innocentius X. moderamen adiecit negatiuę sententię, vt non dicatur in festiuitate Conceptionis B. Virginis Immaculata Conceptio; sed potiùs Immaculatę Virginis Conceptio, ergo ex Decretis Pontificum arguitur, quod neutra sit definibilis, non verò, quod altera sit proximè definibilis; Imò alij Pontifices, praesertim Pius V. & Sixtus IV. prohibent, ne assertores negatiuę affirmatiuam censurent, vel damnent tanquàm Hęreticam; at si negatiua esset proximè definibilis ex vi Pontificiorum decretorum, altera esset in proximo, vt esset Haeretica.

3 Tertiò quia Illud est proximè definibile, quod ferè euidenter constat, esse à Deo reuelatum mediatè, vel immediatè; at Summi Pontifices sentiunt Spiritum Sanctum huius mysterij Arcanum nondùm non patefecisse, vt patet ex Epist. Gregorij XV. ad Margaritam Austrię, & ad Philippum Regem Hyspaniarum, ergo.

4 Quartò quia. Si ex Decretis Pontificum argueretur defi-

ftea fuit ab illo purgata, & mundata.

4 Sed contrà est Dicendum. Nimium ex illis verbis colligi proximam definibilitatem Negatiuæ.

5 Probatur primò quia. Ex regula tradita art. superiori ex DD. Hieronymo, & Augustino ea verba debent literaliter verificari quò ad totalem pulchritudinem etiam per carentiam originalis de aliqua persona, non nisi de B. Virgine, ergo. Minor probatur, quia iuxta originale Hebræum illud; *Tota pulchra*; habet vim comprehendendi omnes actus sponsæ à primo instanti sui esse, significat enim totum, quod tuum fuit, pulchrum fuit; cui explicationi alludit S. Hieronymus ijs verbis, quę leguntur in Breuiario Hyspalensi; Quidquid in Maria gestum est, totum puritas, totum veritas, totum gratia fuit.

6 Confirmatur quia. In Phrasi sacræ scripturæ maculam non esse, est, maculam non contrahere, vndè illud Prouerb. 9. *Qui arguit impium, maculam sibi generat*, explicant Maluenda, & alij Interpretes, *maculam contrahit*. Imò macula non esse in Te, non solùm significat, maculam non contrahis, sed etiam non contraxisti, nàm in scriptura, sicùt ponitur præteritum pro futuro ad significandam certitudinem prophetiæ, ità ponitur præsens pro præterito ad significandam existentiam veritatis, maximè quia in textu Hebræo non habetur particula, *est*, legit enim, & macula non in Te, ità vertunt Pagninus, & Chaldæus, vbi particula, *non*, absolutè posita, malignantis naturæ cùm sit, omne tempus respicit, & negat, facit ergo sensum; macula nunquam fuit in Te, ideòq; ex Rabinorum traditionibus adductis à Galatino additur; *Et macula originalis nec est, nec fuit in Te.*

7 D. Rabinorum testimonia passim commentitia deprehenduntur, & illa additio, *tota es, & fuisti pulchra*, nimis violenta videtur, ergo.

8 Resp. Rabinorum testimonia tùnc, & in eo casu cômen-

menteria deprehendi, quando, vt communiter solent, à scripturæ sensu exorbitant; at quando non dissonant à sacra scriptura, vt accidit in casu nostro, quasi salutem ex inimicis ea recipimus.

9 Ad primum nego. Eum locum itá intellexisse Idiotam, Carthusianum, Hugonem Cardinalem, & Victorinum, S. Thomam, Galatinum, Ildephonsum, Alanum Insulensem cognomento Doctorem vniuersalem satis antiquum, fatetur Cornelius à Lapide.

10. Ad secundum resp. hoc argumento non probari, ea verba verificari de B. Virgine, etiamsi venialia admisisset, nàm verificantur per Aduers. de Sponsa Salomonis habente aliquas maculas, de Ecclesia militante, & Anima iusti non obstantibus peccatis actualibus, ergo etiam possunt simili modo, & forma verificari de B. Virgine.

11 Ad tertium resp. In sacra scriptura, suscitare, non semper significare, deperditum restituere, sed sæpiùs primum esse dare, itá notat Hieronymus Lauretius in Silua Alleg. ex illis, suscitabo tabernaculum, suscitabo Pastorem. Deindè, illa verba significant suscitatam ad munus Maternitatis cum munere fæcunditatis, &. Virginitatis, at Virgo non fuit suscitata ad Virginitatem post eius amissionem, ergo. Deniq; quia in textu græco pro, *suscitaui*, legitur, *segregaui*, *excongregaui*, vndè applicando hæc verba ad Mariam, sensus est; sub illo Arbore malo, in quo Crux est adumbrata; ibi corrupta est Genitrix tua Eua, inquantum arbor fuit scientiæ boni, & mali; ibi inquantum Crucem adumbrauit, segregaui, excongregaui Te ab illa multitudine, quæ simul cum matre peccato infecta est, & corrupta.

AR-

ARTICVLVS VI.

An ex salutatione Angelica arguatur proxima definibilitas negatiuæ.

1 Videtur quod non:Primò quia.Ea verba nō sūt dicta ab Angelo in primo instanti Conceptionis B. Virginis, sed in secunda sanctificatione, quando totaliter est deputata in matrē Verbi, ergo non est literalis explanatio, sed diuinatio, vel accommodatitia, & voluntaria quædam expositio, ac proindè nè dùm inualida ad conuincendam definibilitatem, sed etiam ad scholasticam disputationem.

2 Secundò, quia nullum ex verbis eius salutationis est, quod non reperiatur de alijs dictum in sacra scriptura, nàm in primis, *Aue*, erat antiquitùs communis salutatio apud Fideles ex 2.Epist.Ioan.& ex Euang. vbi Christus mulieribus dixit, *Auete*; Dominus tecum Virorum fortissime, dictum est Gedeoni.Iud.5.Benedicta inter mulieres Iabel.Iudith. 13.Benedicta es Tu filia, Gen.19. Inuenit gratiam coram Domino. 13.Gen.de Noè,& de Ioseph.Inuenit gratiam coram Domino.De Sancto Stephano in Actibus Apostolorum; plenus gratia, & fortitudine.

3 Tertiò quia: *Tò Inuenisti gratiam*, explicatur à D. Bernardo, quod inuenerit gratiam maternitatis serm. 4. de Assumpt.& patet ex textu, vbi statim additur; *concipies enim, & paries.*

4 Quartò quia; *Aue*, solùm in lingua latina significat sinè væ, non in lingua Syriaca, qua locutus est Angelus, qua dicitur, *Sclom lechi*; ergo.

5 Sed contrà est Dicendum. Ex Angelica salutatione efficaciter colligi diffinibilitatem negatiuæ. Probatur explicando singulas particulas iuxtà mentem SS.PP. nàm in primis in illud, *Aue*, canit Ecclesia, mutatum esse Euæ

nomen, per quod significatur; maledictionem Euæ esse per Mariam exclusam, vel Mariam non attigisse; In illud, *Gratia plena.* Ait Athanasius cit. à Gloss. Idcircò gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret, & virtute Altissimi obumbraretur; quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido. In illud, *Dominus Tecum.* Ait S. Augustinus serm. 2. de Annunt. Tecum Dominus in Corde, Tecum in ventre, Tecum in vtero, Tecum in auxilio. In illud, *Benedicta Tu in mulieribus.* Ait Sophronius plus benedicta, quam omnes mulieres, ac per hoc, quidquid Maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ. Tandem in illud, *inuenisti Gratiam.* Ait S. Thomas. significari gratiam præseruatiuam ab omni peccato, saltem actuali.

6. Probatur secundò quia. *Tò Aue,* significat carentiam triplicis culpæ; originalis, mortalis, & venialis. Gratia plena, idèst, omni genere gratiarum tàm præseruatiuæ originalis, & actualis, quàm sanctificatiuæ subiecti. Dominus Tecum, à primo Conceptionis instanti: Benedicta Tu, quia sola non incurristi labem originalem; Inuenisti gratiam, idèst, præseruatiuam, quia aliæ gratiæ sanctificatiuæ ab alijs sunt inuentæ.

7. Ad primum resp. quod licèt Angelus ea verba dixerit in primo instanti Conceptionis Verbi, non Mariæ, attamen ea verba non significant gratias, quas accepit in Conceptione Verbi, sed quas habuit à primo illo instanti, in quo est destinata Mater Dei, ideò ait Chrysol. serm. 146. quomodò non antè conceptum Mater, quæ post partum Virgo Mater, aut Genitrix, quando non, quæ sæculorum genuit auctorem. Et S. Thomas 3 p. q. 27. art 4. ideò probat, Virginem nunquàm peccasse, quia alias non fuisset idonea Mater Dei, qui & ad hoc probandum vtitur verbis Angeli, *inuenisti gratiam.* Deindè communis est

sen-

sensus SS.PP. in conceptione Verbi in B. Virgine fuisse extinctas reliquias peccatorum, ideo à D. Bernardo dicitur, quod in illo instanti, quod fuerit superplena Spiritu sancto, cùm anteà esset iam plena.

8 Ad secundum dico. Quod licèt singula ea verba alijs singillatim reperiantur applicata, simul sumpta, & collectiuè de nullo dicuntur, nisi de B. Virgine: Deindè quę alijs sunt communia, speciali ratione verificantur in Virgine, nã etiam æquè de Christo, ac de Sãcto Stephano dicitur, plenus Spiritu sancto, & tamen hæc speciali ratione verificãtur in Christo, idcircò præcepit Dominus dicens; *Scrutamini scripturas*, nam quæ in cortice literæ videntur alijs communia, in medulla sunt pro aliquo mysterio à Spiritu sancto dictata, vt fides magis elucescat, & confundantur, qui in primo literæ sensu veluti cæcutientes, & quasi ad parietem palpantes offendũt; hinc ait Francus Abbas cit. à Lezana c. 12. Dominus tecum, ò Virgo, non tantùm generali benedictione gratiæ, quæ cum cæteris sanctis est cõmunis, sed etiam singulari prærogatiua gratiæ; idem docet Thomas Bauxamis 1. tom in Euang. & S. Bernard. ser. in signum magnum.

9 Ad tertium patet responsio ex dictis ad primum.

10 Ad quartum Resp. sufficere, quòd in latina lingua, in qua est versio vulgata, *Aue*, significet sinè væ; præterquã quod etiam in lingua Syriaca, Tò *Selom lechi*, ex Pagnino significat, Pacem sinè væ gladij, incolumitatem integram omni ex parte, & sinè vllo væ miseriæ.

ARTICVLVS VII.

An ex illo Leuit. 12. Mulier si suscepto semine &c. colligatur proximã definibilitas negatiua.

1 VIdetur quod non. Primò quia B. Virgo non est comprehensa lege Purificationis ex defectu ma-

materiæ, non ratione specialis priuilegij; quia non suscepit semen viri, ideò ex hoc non licèt inferre priuilegium immunitatis ab originali.

2 Secundò quia. Aliud est loqui de Purificatione, aliud de Conceptione; esto enim B. Virgo non sit comprehensa lege Purificationis, non indè benè arguitur, non comprehensam lege contrahendi originale.

3 Tertiò quia. Si ex illa exemptione liceret arguere ad istam, maximè quia parere siuè dolore, siuè læsione Virginitatis est effectus connaturalis innocentiæ originalis, ideò olim mulieres tenebantur illa lege, quia pariebant in immunditia, & cum dolore in multam, & pœnam peccati originalis, sed hæc ratio non valet, quia parere sinè dolore, sinè immunditia, & læsione Virginitatis est distinctus Articulus à Conceptione de Spiritu Sancto, quia adest noua difficultas credendi vnum, & alterum, ergo parere hoc modo non est effectus connaturalis innocentiæ originalis, aliàs non poneretur tanquàm Articulus distinctus, Articuli enim distinguuntur ex distincta, & diuersa difficultate.

4 Sed contrà est dicendum. Ex hoc loco efficaciter colligi proximam definibilitatem negatiuæ.

5 Probatur primò quia. Per, τό suscepto semine, non intelligitur suscepto semine viri, sed sumitur semen pro filio, & ideò B. Virgo comprehensa esset sub lege Purificationis, nisi speciali priuilegio fuisset facta exempta ratione maternitatis Diuinæ, ergo à simili, ratione eiusdem maternitatis potest dici facta exempta à peccato originali.

6 Probatur secundò quia. Parere cùm dolore, cùm immunditia, & cùm læsione Virginitatis est effectus, & pœna peccati originalis, sed B. Virgo peperit sinè dolore, sinè immunditia, & sinè læsione Virginitatis, vt est de fide, ergo caruit peccato originali, ergo ex hoc loco colligitur proxima definibilitas negatiuæ, conclusio enim, quæ de-

ducitur ex vna de fide, altera naturaliter euidenti; vt est in casu nostro; est conclusio Theologica, & proximè definibilis de fide; ergo. Et quidem esse de fide, B. Virginem peperisse sinè dolore, & læsione Virginitatis, est in confesso; quod autem hoc modo parere sit euidens naturaliter, patet, quia sequitur tanquam effectus naturalis à [illegible] causa naturali, idest, à iustitia, & innocentia originali, vt docent D. Thomas.

7 Ad primum resp. per τὸ suscepto semine, non importari, suscepto semine viri, sed per terminum illum semine, intelligi filium, vt patet ex illo Gen. 3. *Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen illius.*

8 Ad secundum resp. ex eo, quod fuerit exempta à lege Purificationis, benè argui fuisse exemptam à lege contrahendi originale, dupliciter; primò quidem à pari, quia à lege Purificationis fuit exempta speciali priuilegio, quia Dei Mater; ergo etiam fuit facta exempta à lege contrahendi peccatum originale hoc speciali Dei priuilegio, quia Mater Dei. Secundò, quia ea lege tenebantur mulieres, quia pariebant cùm immunditia, cùm dolore, & læsione Virginitatis, quæ erat pœna peccati originalis, sed B. Virgo peperit sinè dolore, sinè immunditia, sinè læsione Virginitatis, ergo fuit immunis à peccato originali, in quo enim non est pœna, neq; supponitur esse culpa.

9 Ad tertium resp. Quod licèt parere sinè dolore, & læsione Virginitatis sit distinctus Articulus à Conceptione actiua; seù à Conceptione Verbi de Spiritu Sancto, vt patet, quia est distincta difficultas, & ideò ponitur tanquàm Articulus distinctus, cùm ex D. Thoma 2.2. q. 5. art. 6. distincti articuli ponantur ex distinctis, & diuersis difficultatibus, quas experimur in credendis diuersis obiectis, tamen parere sinè dolore non est distinctus Articulus à Conceptione passiua B. Virginis sinè peccato originali, seù cùm originali innocentia, quia vnum sequitur ex alio,

tan-

tanquàm effectus connaturalis à sua causa, sicuti Christum Dominum, Crucifixum, passum, mortuum, & sepultum ob connexionem naturalem, quæ est in ijs, vnum condūt articulum fidei; & licèt regulariter verum sit, vt vbi non est culpa, non sit pœna, tamen de absoluta potentia, vel etiam ex rationabili causa, potest Deus, vbi culpa non est, permittere esse pœnam, vt in Christo, & B. Virgine, vel propter exercitium virtutis, vel propter exemplum relictæ sunt quædam pœnalitates, quàmuis in ijs nulla fuerit culpa.

ARTICVLVS VIII.

An benè pro Sacra Scriptura recta Ratio sufficiatur.

1 Videtur quod non. Primo quia ex Augustino; si ratio contrà auctoritatem diuinarum, scripturarum redditur, quantumlibet acuta sit, fallit vera similitudine, quia vera esse non potest, ergo.

2 Secundò quia Communis mos procedendi Dei est, reuelare per scripturam, vel traditionem, quando alicui concedit priuilegia, ergo standum est scripturæ, & traditionibus, & non est recurrendum ad rationes; hinc est, vt dicamus, nullum fuisse sanctificatum in vtero præter Hieremiam, & Ioan. Baptistam, quia de his solum constat ex scripturis.

3 Tertiò quia D. Augustinus Conc. 2. in ps. 30. tenet, scripturas veteris legis expressius loqui de Ecclesia, quàm de Christo, quia de Christo non erant tot lites, & quæstiones exorituræ, quot erant exorituræ de Ecclesia, ergo cùm tot lites ortæ sint de B. Virginis Conceptione, quæ non sunt ortæ de sanctificatione S. Ioannis Baptistæ, debuisset expressius loqui de Cōceptione in scripturis, quàm de sanctificatione B. Ioannis Baptistæ, & tamen scripturæ de hac loquuntur, de illa non item, ergo.

ſcripturæ, neq; traditio; eſto oppoſitum aſſerere, eſſet temerarium, quia contrà communem Theologorum ſenſum.

12 Reſp. Quod ex illo teſtimonio Iſaiæ non magis colligitur Virginitas Mariæ in ſenſu literali, quàm ex illo *Tota pulchra es*, colligatur Immaculata Conceptio, nam ideò *Tota pulchra es*, non ſignificat Immaculatam Conceptionem, quia in ſenſu literali verificatur de Eccleſia, vel de anima iuſti, quæ admittunt maculas, ſed etiam illa, ecce Virgo concipiet, ex Rabinis ſignificat puellam, quæ eſſet tùnc Virgo ex ſemine viri conceptura filiũ in ſignum victoriæ,& tamen Patres ex illo Iſaiæ efficaciter colligunt Virginitatem Marianã, non ſolùm ex editione vulgata, ſed etiam ex Idiomate Hebræo, nàm, Alma, ſignificat Puellam, quæ virum nũquàm cognouit, quod non poteſt verificari de Puella, quæ cùm eſſet Virgo, poſteà ſuſcepto virili ſemine peperit, ſicùt macula non eſt ei, vel maculam non contrahis, non poteſt verificari, niſi de Virgine, ergo ſi ex illo Iſaiæ colligitur Virginitas B. Mariæ, etiam ex illo *Tota pulchra es*, colligitur Immaculata Conceptio; vel ſi ex illo *Tota pulchra es*, non colligitur Immaculata Conceptio, neq; ex illo Iſaiæ, Ecce Virgo concipiet, colligitur Virginitas. Ad id, quod dicitur de Aſſumptione; ad minus ſequitur ex tali doctrina, Aſſumptionem B. Virginis forè definibilem, quia illa ſententia eſt definibilis, cuius oppoſita eſt temeraria, ſed oppoſita ſententia, quia contrà communem eſt temeraria, ergo ſententia de Aſſumptione eſt definibilis; ſed hæc ſententia non continetur in ſcriptura, ergo dato, quod Immaculata Conceptio non ſit in ſcriptura, adhùc erit definibilis.

13 Ad ſecundum reſp. Veriſſimè dicere Auguſtinum, quod ratio contrà ſcripturam non eſt ratio; at ſcriptura nil commemorat contrà Immaculatam Conceptionem, niſi fortaſsè afferas legem Vniuerſalem, quàm ſuprà ſatis,

ſuperq;

ſuperq; interpretati ſumus, ideò firmum ſtat valere rationem pro ſcriptura.

14 Ad ſecundum reſp. Morem Dei reuelandi priuilegia eſſe per figuras, & vmbras veteris teſtamenti, ideòq; valdè obſcurè reuelari, vt cogamur ſcripturas ſcrutari: & ſanè haud clariùs colligitur ex ſcripturis ſanctificatio in vtero Hieremiæ, & Ioannis Baptiſtæ, quam B. Virginis; nã illa verba; *Exultauit infans in vtero eius*, poteſt intelligi de exultatione corporali, vel ſanctificatione intelligi pro deputatione, vel conſecratione ad aliquod miniſterium; & illud, *Antequam exires de vulua ſanctificaui Te*, hæbreus textus legit, *ſegregaui*, quod eſt ſeparare ad aliquod miniſterium, ergo ſtante lege generali, quod omnes naſcantur filij Iræ, illa verba non poſſunt importare exemptionem Ioannis, & Hieremiæ à natiuitate in peccato, ſicut ſtante illo, *Omnes in Adam peccauerunt*; nolunt B. Virgini concedere immunitatem ab originali; ſi ergo verba illa ſignificant immunitatem naſcendi in peccato originali in SS. Hieremia, & Ioanne Baptiſta, etiam verba ſcripturæ ſupracitata ſufficienter ſignificant exemptionem B. Virginis ab originali in ſui Conceptione; & ſanè ſpeciali Spiritus ſancti Prouidentia factum eſt, vt nullum ſit verbum ſcripturæ, quo ſignificetur ſanctificatio B. Virginis poſt Conceptionem, aliàs de hac lite iam conclamatum eſſet, & ſanè indè intelligeremus, eam fuiſſe ſanctificatã in ſui Conceptione.

15 Ad tertium dico. Quod quia pauciores ſunt lites de B. Virgine, quàm de Chriſto, ideò nil mirum, ſi ſcriptura non ità expreſsè locuta ſit de priuilegijs B. Virginis; quia omnia concluſit ſub vno illo priuilegio Maternitatis, vndè ait S. Thomas de Villanoua concion. 2. de Nat. B. V. ſpeciali Dei prouidentia factum eſt, quod Euãgeliſtæ nihil aliud de Maria dicerent, nè aliquo Priuilegio caruiſſe videretur; *Vbi totum erat, pars tribuẽda non erat, nè putaremus, quod ſcriptum non fuerat, ei forſitan defuiſſe.*

16 Ad

16 Ad quartum Respondeo. Quod & antè, & post Christum creuerunt articuli fidei non quò ad substantiam, sed quò ad declarationem, nam quæ priora Concilia non expresserunt, subsequentia nouis exorientibus erroribus declarauerunt.

ARTICVLVS IX.

An ex vi Traditionis colligatur proxima definibilitas negatiuæ.

1 Videtur quod non. Primò quia D. Bernardus epist. ad Lugdunen. loquens de Immaculata Conceptione B. M. Virginis ait, *quam non commendat antiqua Traditio*; ergo ex vi Traditionis non potest colligi proxima definibilitas.

2 Secundò quia. Id habetur ex traditione, quod antiqui PP. à tempore Apostolorum vnanimi cōsensu docuerunt, & censuerunt tanquam dogma fidei, & doctrinam Catholicam ex Bannez, & oppositum asserentes tanquam de hæresi, vel errore acriter redarguūtur, sed ità non se habet Immaculata Conceptio B. Virginis, nam eius Festum non recipitur ab Ecclesia Romana, sed tātùm toleratur in quibusdam Ecclesijs particularibus, ergo.

3 Tertiò quia. Si sententia negatiua haberetur ex traditione, maximè quia huiusmodi traditio haberetur ex auctoritate Laminarum, seù librorum Granatensium illis verbis; Illa Virgo, illa sancta, illa præseruata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni culpa, & qui ità non censerit, non consequetur salutē æternam, sed ex ista auctoritate, & citatis verbis non elicitur antiqua Traditio, ergo. Minor probatur primò quia; auctoritas horum librorum est Apocrypha, eò quod, vt ait S. Augustinus lib. 1. cō. Aduers. legis, & Proph. c. 20. occulta eorum origo Patribus non claruit, à quibus verarum scriptu-

ſcripturarum ad nos auctoritas certiſſima, & notiſſima ſucceſſione peruenit. Secundò quia; Phraſis illa eſt valdè formalis,& ſcholaſtica, videtur ergo ad placitum Recentiorum confiſta; Tertiò quia; falſitatem continent volumina illa,dicunt enim, quod qui Immaculatam Conceptionem non tenet, non conſequatur ſalutem æternam, & tamen certum eſt,Sanctam Catharinam Senenſem,& alios SS.fuiſſe pro affirmatiua, ideò afferentibus traditionem huiuſmodi poteſt dici cum Auguſtino contrà Donatum t.7.fo.1.obijcitis Traditionem;reſpondemus,Vos feciſtis.

4 Quartò quia.SS.PP. qui primis quatuor ſæculis nimium extollentes Puritatem B.Virginis dixerunt,eam eſſe Angelis puriorem,fuiſſe ſuper omnes benedictam, liberam fuiſſe ab omni peccato,vel locuti ſunt per hyperbolē, vel locuti ſunt de ea Puritate,quam B.Virgo habuit in inſtanti Conceptionis actiuæ, & præſertim ità intelligendus eſt S.Cyprianus,quando dicit, Spiritu ſancto obumbrante incēdium originale extinctum eſſe,B.Virginem cum alijs communicare natura,non culpa.

5 Sed contrarium eſt Dicendum. Ex vi Traditionis Eccleſiaſticæ validè deduci definibilitatem negatiuæ.Dixi Eccleſiaſticæ, non Apoſtolicæ, quia ſi haberetur traditio Apoſtolica,iam eſſet de Fide,hæc enim inter alias eſt differentia inter Apoſtolicam,& Eccleſiaſticam Traditionē, quod illa oſtendit aliquid tanquam fidei dogma,& oppoſitum eius tanquam hæreſis eſt vitandum; hæc verò nō ità rigorosè introducitur,& ità ab Eccleſijs admittitur, vt ab hæreticis etiam negetur;illa demonſtrat definitionē, hæc verò conducit ad definibilitatem.

6 Probatur ergo Eccleſiaſtica traditio de ſententia negatiua, quia à Iacobi prædicatione celebrari in Hyſpania feſtum Immaculatæ Conceptionis affirmat Flauius Dexter, & in antiquiſſimis Breuiarijs, & Miſſalibus inuenitur officium Immaculatæ Conceptionis, quæ omnia cū to-

toleranda Ecclesiæ Romanæ introducere traditionem Ecclesiasticam nō potest negari, nam Ecclesia in officio approbato S. Iacobi Apostoli approbat aduentum ipsius in Hyspaniam ex traditione Ecclesiarum Hyspaniæ, quam profectò traditionem non Apostolicam, sed Ecclesiasticam asserebat illis verbis, *Ecclesiarum illius Prouinciæ traditio est*, quæ verba in Breuiarijs modernis auctoritate Pontificia ablata sunt, & absolutè ponitur, Aduentus in Hyspaniam, vt propterea videatur Ecclesia Romana absolutè admittere, quæ anteà sola traditione Ecclesiastica erat receptum.

7 Nec obstat primò. Quod Ritus celebrandi Immaculatam Conceptionem inceperit in particularibus Ecclesijs, id enim non tollit, quod temporum continuatione introducta sit consuetudo traditionem inducens antiquitate fulcitam, accedente maximè admissione Ecclesiæ Romanæ, nàm multi ritus Ecclesiastici hoc modo introducti, ab Ecclesia Romana acceptati, & tanquam traditione Ecclesiastica roborati sunt, ità sunt commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, litaniæ Sancti Marci, & alia huiusmodi, vt apud Baronium tùm in notis ad Martyr. Rom. tùm in Annal. videre est.

8 Nec obstat secundò. Quod aliqui PP. sint in contrarium, nàm primò hi PP. non negant tolerantiam Ecclesiæ Romanæ. Secundò per Aduers. Ecclesiastica traditio est, B. Virginem fuisse immunem à peccatis venialibus ex eo, quia Tridentinum dicit, *Ecclesia tenet*; & tamen non pauci SS. PP. sunt in contrarium.

9 Ad primum resp. S. Bernardum loqui de traditione Apostolica, non Ecclesiastica, quam assero.

10 Ad secùndum resp. Bannez loqui de traditione Apostolica, non Ecclesiastica, ad quam sufficit, quod aliqua consuetudo priùs introducta in Ecclesijs particularibus, posteà tolerata, antiquitate firmetur, & tandem ab

Ecclesia Romana acceptetur, quod omne complete implectur in festo Immaculatæ Conceptionis.

11. Ad tertium resp. Quod licet auctoritas eorum librorum sit Apocrypha, non sequitur, quod nullius sit momenti, sed solùm, quod non sit Canonica, & aliàs benè fit; quod maximi sit momenti, & ponderis, vt etiam sunt duo libri posteriores Esdræ. Nec obstat, quod phrasis illorum voluminum sit formalis, & scholastica, dummodò verè is sensus insit ijs voluminibus, & libris Granatensibus; qui sanè haud vllam falsitatem continent, quamuis affirmatiuam tenentes consecuti sint vitam æternam; nàm in pluribus Sanctis id contigit, vt antè definitionem, vel communem sensum Ecclesiæ, contrariam opinionem tenuerint absq; propriæ salutis iactura, vt patet de Sancto Cypriano tenente Rebaptizandos esse Hæreticos, de Sancto Hieronymo tenente mendacium esse licitum.

12. Ad id, quod olim Donatistis obiecit Augustinus; *obijcitis traditionem, Vos fecistis;* magna æquiuocatio est, nàm per traditionem intelligit ibi S. Augustinus proditionem commissam ab Episcopis Numidiæ, qui cum sacros Codices impio edicto cedentes tradidissent, simul fœdere iuncti, nec dolore tanti facinoris perculsi, se innocentissimos professi sunt, & innocentes Episcopos, ipsumque primæ sedis Mensurium Carthaginensem traditionis labe conspersere; refert Baronius ad an. Christi 303. & ipsemet Augustinus lib. 1. contra Epist. Parmeniani.

13. Ad quartum resp. De sensu SS. PP. infrà agendum esse. Quod autem ibi dicitur, SS. PP. loqui hyperbolicè, valdè est mirandum, nullum esse genus verborum, nullam posse excogitari phrasim, qua Immaculata Conceptio explicetur, & significetur ad palatum Aduers. nàm si gloriosa dicimus, hyperbolica sunt; si communia, & generalia, non probant, si clara, & expressa, sunt nimis scholastica, & formalia, ideòq; suspecta. Videat Deus, & Iudicet.

AR-

ARTICVLVS X.

An ex Praecedentium Pontificum Romanorum Decretis & Bullis inferatur definibilitas Negatiua.

1 Videtur quod non. Primò quia praeter auctoritatem nouem Pontificum; scilicet, Innocentij I. II. III. Zeromi, Bonifacij, Honorij; Clementis V. & VI. Bonifacij III. & Eugenij IV. quos referunt Bandellus, & Iauellus. Sixtus IV. Alexander VI. Pius V. Paulus V. Gregorius XV. & Concilium Tridentinum asserunt, non esse suę intentionis prę iudicium aliquod afferre sententię affirmatiuę, sed illam relinquere in suis terminis, & statu, quem habebat tempore Sixti IV. sed illo tempore vtraq; erat probabilis, & affirmatiua communior, vt videre est in Doctoribus ante Sixtum IV. ergo.

2 Secundò quia, Innocentius X. moderamen adiecit negatiuę sententię, vt non dicatur in festiuitate Conceptionis B. Virginis Immaculata Conceptio; sed potiùs Immaculatę Virginis Conceptio, ergo ex Decretis Pontificum arguitur, quod neutra sit definibilis, non verò, quod altera sit proximè definibilis; Imò alij Pontifices, praesertim Pius V. & Sixtus IV. prohibent, ne assertores negatiuę affirmatiuam censurent, vel damnent tanquam Hereticam; at si negatiua esset proximè definibilis ex vi Pontificiorum decretorum, altera esset in proximo, vt esset Haeretica.

3 Tertiò quia, Illud est proximè definibile, quod ferè euidenter constat, esse à Deo reuelatum mediatè, vel immediatè; at Summi Pontifices sentiunt Spiritum Sanctum huius mysterij Arcanum nondùm non patefecisse, vt patet ex Epist. Gregorij XV. ad Margaritam Austrię, & ad Philippum Regem Hyspaniarum, ergo.

4 Quartò quia, si ex Decretis Pontificum argueretur

definibilitas, maximè quia habentur Bullę de celebratione festi, & de lucrandis Indulgentijs in celebratione festi, sed hęc licèt faueant negatiuę, non prę iudicant affirmatiuę, nec illam faciunt proximè damnabilem, ergo.

5 Sed contrà est dicendum. Ex Decretis, & Bullis Summorum Pontificum colligi proximam definibilitatem negatiuæ.

6 Probatur primò quia. Nullus potest assignari Summus Pontifex, qui postquàm Summo Pontificatu inauguratus est, affirmatiuam sententiam tenuerit, vt eruditè probat Antonius Calderon c. 5. §. 26. in libro vno, quem pro titulo Immaculatæ contrà libellos duos Anonymi Auctoris edidit, vbi etiam notat, quod fucum faciant Lectori, dùm pro Ioanne Lochetio, & Petro de Tarantasia, Innocentium III. & V. producunt Aduersarij.

7 Probatur secundò quia. Summi Pontifices semper specialibus fauoribus prosecuti sunt negatiuam nàm Paulus V. Indulgentias concessit recitantibus collectam illam, Deus, qui per Immaculatam Conceptionem. Gregorius XV. silentium indixit sententiæ affirmatiuæ. Sixtum IV. & Pium V. Immaculatæ Conceptioni fauisse, meridiana luce est clarius.

8 Ad primum resp. Summos Pontifices remissiuè citatos affirmatiuæ sententiæ parum fauisse argumento est, quod eorum testimonia, & verba non adducuntur, cùm aliàs testimonia longè inferioribus auctoritatis non omittantur ab Aduersarijs, qui toti sunt in transcribendis sententijs contrà Immaculatam. Posteriores autem Pontifices in argumento citatos negatiuæ sententiæ plurimum detulisse, non est dubitandum: Haud verè, & fideliter ex Tridentino affertur; quod dicat, non esse suæ intentionis præiudicare affirmatiuæ, licèt enim ea verba habeantur in Bullis Pontificijs, non tamen sunt in Tridentino, quod solummodò decreuit, non esse suæ in-

tentionis comprehendere in Decreto de peccato originali B. Virginem, sed obseruandas esse Constitutiones Sixti IV. quòd si Aduersarij velint ex ijs verbis, siuè à Concilio, siuè à Summis Pontificibus ea dicta sint, affirmatiuam sententiam non fuisse ab omni labe erroris præseruatam, quare ex illis; non esse suæ intentionis comprehendere in Decreto de peccato originali B. Virginem, negabunt, eam fuisse præseruatam? Et quidem si Concilium pro eo, quòd dixit, non esse suæ intentionis comprehendere, dixisset, esse suæ intentionis non comprehendere, quis dubitaret positiuè fuisse exclusam Virginem à Decreto de peccato originali; At quam parum distet ab hoc sensu, dicere non esse suæ intentionis comprehendere iudicet quicunq; Grāmaticam, vel à limine salutauerit. Addo, tàm esse proximam definitioni ex vi Decreti Tridentini istam veritatem, vt nihil possit aliud excogitari, quod magis suadeat proximam definitionem; nàm hic Concilium suam sententiam profert, & decernit obseruandas esse Constitutiones Sixti IV. quas esse sententiæ negatiuæ fauorabiles, nulli dubium est; & nè videretur includere in Decreto de peccato originali B. Virginem, declarauit suam mentem, dicens; *non esse suæ intentionis &c.* quæ verba innuere definitionem haud negant Aduersarij fatentes Concilium temperasse eorum verborum sensum sequentibus verbis, *sed obseruandas esse Constitutiones Sixti IV.* Alias victi manus darent.

9 Ad secundum resp. Haud verè dici, quod affertur ex Innocentio, licèt verissimum sit, eo Pontifice regnante confictum esse quoddam Decretum de abolitione Tituli Immaculatæ, vt non Conceptioni, sed B. Virgini appingeretur, qua de re iustum volumen edidit Antonius Calderon, qui omninò videndus est hic.

10 Ad id, quod dicitur de Sixto IV. & Pio V. vltrò admitto prohibitum esse, nè censuraretur affirmatiua, deindè

inde non sequitur, quod vel neutra sit definibilis, vel quod vtraq; æquè tutò definiatur; ex eo autem, quod negatiua sit proximè definibilis, an sequatur, quod affirmatiua sit in proximo, vt sit damnabilis, nil audeo affirmare.

11 Ad tertium resp. Totam vim, & veritatem maioris consistere in illo, ferè. nàm si propositio diceret, illud est definibile, quod euidenter constat esse reuelatum, esset falsa illa maior, nàm quod euidenter constat, esse reuelatum, iàm est de fide, iàm est definitum. Verùm quia, το ferè, non repetitur in minori, ideò argumentum fallax est, & sophisticum; dicit enim, Pontifices asserere, Spiritum Sanctum nondùm patefecisse, idest, nondùm euidenter reuelasse, ex quo sequitur, nondùm esse definitum, nondùm esse de fide, non verò sequitur, nondùm esse definibile, ideò argumentum in ea forma dispositum, non est ad rem.

12 Ad quartum resp. Ex concessione Indulgentiarum, & celebratione festi non leue confici argumentum pro Sanctitate Immaculatæ Conceptionis, nàm declaratur, quòd Conceptio sit Sancta eodem modo, quo est Natiuitas; nàm festum non est, nisi de Sancto, vt docet S. Thomas; tùm quia ex communi Theologorum sensu de Canonizatione SS. quando conceditur, quod de aliqua Persona celebretur missa, festum, & officium, & vt possit appellari Sancta, beatificatur; Beatificatio autem non differt à Canonizatione, nisi accidentaliter, nàm totum id, quod habetur in Beatificatione, habetur & in Canonizatione cùm hac differentia, quod in Beatificatione conceditur per modum indulti, & gratiæ, in Canonizatione verò conceditur per modum sententiæ definitiuæ, & iustitiæ adhibitis aliquibus diligentijs. Cæterum quod est in statu Beatificationis, est in proxima dispositione ad Canonizationem; Cùm ergo Ecclesia concedat celebrari festum cùm missa, & officio, concedat Conceptionem appellari Sanctam, constituit eam in statu proximæ definibilitatis,

& Ca-

& Canonizationis, quibusdam præmissis diligentijs, vti sunt Populorum deuotio, miraculorum comprobatio, Principum instantiæ, quæ omnia sunt in promptu.

13. D. Canonizationem, & Beatificationem applicari Personis, non mysterijs, ergo non benè dicitur Conceptio Beatificata, vel Canonizata.

14. Resp. Beatificationem, & Canonizationem applicari non Conceptioni in abstracto, sed Conceptioni *B. Virginis*, & ideò applicari Personæ B. Virginis cùm hac sola differentia; quod quandò Ecclesia aliquem Sanctum canonizat, declarat vltimum instans vitæ eius fuisse in gratia, & quādò beatificat, vel canonizat Cōceptionem B. Virginis, declarat primū instās vitæ *B.* Virg. fuisse in gratia; vndè sic licèt argumētari à pari; *Sāctus* Beatificatus est proximè Canonizabilis, ergo cū Cōceptio B. Virginis sit beatificata, quia cōcessū est fieri de ea festū cū missa, & officio, ergo est in proximo statu Canonizationis, & definibilitatis.

15. Nec obstat, quod vltimò dicitur in argumento; nullum ex talibus concessionibus inferri præiudicium affirmatiuæ; nam sicut in Canonizationibus SS. permittitur, vt Procurator Fiscalis contradicat, ità & in casu nostro permittitur Aduersis vt contradicant, donec feratur vltima sententia definitiua. Prætereà dicunt Pontifices, nolle inferre præiudicium affirmatiuæ, præterquàm quò ad prædicta, idest, quòad silentij impositionem, & alias gratias concessas negatiuæ. Quod autem Pontifices concesserint Aduersarijs, posse inter seipsos de eorum sententia affirmatiua colloqui, apprimè conuincit, negatiuam esse proximè definibilem. Nàm si per Aduers. licet ità argumentari; Virgo eguit speciali priuilegio, vt pareret sinè dolore, ergo si illo careret, pareret cùm dolore, sed parere cùm dolore est effectus peccati originalis, ergo illud contraxit. Ità licebit mihi discurrere; Vt possis sentire Virginem esse Conceptam in peccato originali, eges speciali

ciali priuilegio; ergo si illo careres; errares sentiendo illam esse Conceptam in peccato originali, sed errare asserendo aliquam propositionem, est effectus proximæ definibilitatis oppositæ, ergo.

ARTICVLVS XI.

An communis sensus SS. PP. sit pro negatiua.

1 Videtur quod non. Primò quia S. Augustinus lib. 2. contrà Iulianum, postquàm statuit solum Christum non contraxisse originale, adducit quamplures Patres Græcos, & Latinos idem sentientes, ergo expressa mens Sancti Augustini est, omnes Patres communi sensu solum Christum excipere.

2 Secundò quia. D. Bernardus epist: ad Lugdunenses ait. *Nunquid Patribus doctiores, aut deuotiores sumus?* ergo sensit D. Bernardus, SS. PP. communiter fuisse pro affirmatiua, non pro negatiua.

3 Tertiò quia. Clemens Papa V. dixit, quod B. Virgo secundum communem sensum SS. PP. fuit Concepta in peccato originali; ergo.

4 Quartò quia. Magister in 3. d. 3. ait. *Iuxtà SS. attestationis conuenientiam dicendum esse; Ipsam,* idest, *carnem Christi, priùs peccato fuisse obnoxiam, sicùt & reliqua Virginis Caro.*

5 Quintò quia. D. Bonau. in 3. d. 3. ait. *Sententia affirmatiua securior est, quia magis consona fidei Pietati, & SS. auctoritati magis concordat pro eo, quod communiter Sancti, cùm de materia ista loquuntur, solum Christum excipiunt ab illa generalitate,* omnes in Adam peccauerunt. *Nullus autem inuenitur dixisse de ijs, quibus auribus nostris audiuimus, Virginem Mariam à peccato fuisse immunem;* & Scotus ait; Quid horum factum sit, Deus nouit; si auctoritati scripturæ, & auctoritati Ecclesiæ non repugnat, videtur proba-

babi-

babile id, quod est excellentius tribuere Mariæ.

6 Sed contrà est dicendum, Communem sensum SS. PP. esse pro negatiua.

7 Primò quia. Pro sententia negatiua potest adduci propèmodum infinita multitudo SS. PP. & Doctorum ex Familijs Franciscana, Augustiniana, & alijs Religionibus, specialiter ex Familia Dominicana, vt videre est apud Salazar, Lezanam, Oiedam, Mirandam, & alios scriptores de hac materia.

8 Probatur secundò quia. Vt ait Mayronius dicta SS. PP. solùm obligant nos ad dicendum, B. Virginem aliquò modo contraxisse originale, quod sufficienter verificatur concesso debito, vt expresè asseruit B. Amadeus in raptu 4. vbi postquàm dixit, omnes excepta Deipara contraxisse actu peccatum originale, hæc addit, ipsa tamen rectè dici potest, peccauisse, & à peccato liberatam fuisse, quia ex massa peccato obnoxia proditura erat, & prodijt.

9 Probatur tertiò quia. Doctores, qui dicunt, Patres negasse Sanctitatem Virgini in Conceptione, non potuerunt illos intelligere de Conceptione propriè sumptà, prout dicit infusionem Animæ, sed de Conceptione carnis, seù fœtus coagmentatione, vt patet ex auctoritate Alberti Magni, Alensis, D. Bonauenturæ, qui solùm reprobarunt, tanquàm alienam à mente PP. & hæresim à D. Bernardo damnatam sententiam asserentem, Virginem fuisse sanctificatam antè animationem, quibus addimus Caietanum, qui expressimus docet, S. Thomam de quæstione ista, an fuerit sanctificata in infusione Animæ, non fuisse locutum, sed fuisse communem sententiam Antiquorum, Virginem antè animationem non fuisse sanctificatam.

10 Ad primum resp. S. Augustini mentem fuisse, impugnare Iulianum, asserentem omnes ex vi naturæ independenter à meritis nasci à peccato originali immunes, neq; indigere Baptismo; cuius doctrinæ propositio con-

tradictoria est; neminem ex vi naturæ independenter à meritis Christi nasci immunem, à peccato originali, & omnes indigere Baptismo, ipso tantummodò Christo excepto; quæ Augustini doctrina sicùt non falsificatur ex eo, quod Virgo Ioannes Baptista, & Hieremias nascantur sinè peccato, quia id habent ex meritis Christi, ità non falsificatur ex eo, quod afferatur B. Virgo concepta sinè peccato ex meritis Christi, & ideò PP. non stant communiter pro affirmatiua.

11. Ad secundum dico, Verba D. Bernardi non esse referenda ad Conceptionem, sed ad celebrationem festi antè approbationem Sedis Apostolicæ, de quo D. Bernardus præcipuè arguit Lugdunenses; colligitur ex ipso textu S. Bernardi, qui negare videtur Sanctitatem Conceptioni, proùt dicit fætus coagmentationem, non proùt dicit Conceptionem Animæ, tota enim vis argumenti S. Bernardi in eo est, quod non potuerit B. Virgo Sancta esse, antequàm esset, non enim pro eo instanti, vel tempore, vt aliqui volunt, & videtur supponere D. Bernardus, quo Conceptio fætus præcessit infusionem Animæ, Virgo potuit esse Sancta, sed benè potuit esse Sancta in eo instanti, quo anima infusa est corpori, & animæ gratia; primum negat D. Bernardus, non secundum. Nàm licèt in eodem instanti reali fuerint coagmentatio fætus, & infusio Animæ, tamen in hoc instanti reali possumus distinguere duo signa rationis, vnum in quo sit coagmentatio fætus, alterum in quo sit infusio Animæ, sicùt in creatione Angelorum, & primi hominis dicimus, illos fuisse creatos in gratia, in primo sui esse habuisse gratiam, & tamen in eodem instanti reali distinguimus duo signa rationis, vnum, in quo intelligamus eos fuisse, alterum, in quo intelligamus eos recepisse, seù habuisse gratiam. Hanc fuisse mentem S. Bernardi, docent Alensis, S. Bonau. & clarissimè Albertus Magnus locis cit. in 3. d. 3. art. 4. Dicimus, *hæc sunt*

verba formalia, quod B. Virgo non fuit sanctificata antè animationem, & qui dicunt oppositum, est hæresis à S. Bernardo damnata in epist. ad Lugdunen. & à Magistris omnibus Parisiensibus.

12 Ad tertium resp. Ea verba dicta esse à Clemente V. antequàm esset Summus Pontifex, docent Antonius Calderon, & Ioannes de Colonia Franciscanus in q. Magistr. in Scotum.

13 Ad quartum resp. Aliud esse carnem Christi fuisse obnoxiā peccato, sicùt & reliquā Virginis carnē; aliud esse, peccatū contraxisse. Dò vltrò B. Virginem fuisse obnoxiam peccato, quod est contraxisse debitum, & Christum sumpsisse carnem debito obnoxiam, non tamen actu originale peccatum contraxisse. *Prætereà* ibi Magister loquitur de peccato actuali; dicit enim de Virgine, quòd externè fuerit purgata, & nulla ei peccandi occasio extiterit, ergò cùm respectu actualis, eius carnem fuisse obnoxiam, non importat actu contraxisse actuale, neq; importare potest actu contraxisse originale.

14 Ad quintum dico. S. *Bonauenturam* eam mentem reuocasse, & Scoti verba esse fauorabilia sententiæ negatiuæ, cuius ipsum fuisse Ducem, seù Promotorem, nullus ambigit.

ARTICVLVS XII.

An aliqui ex SS. PP. expressè fuerint pro Affirmatiua.

1 Videtur quod sic. Primò quia S. Fulgentius lib. de Gratia Christi c. 6. ait. *Caro quippè Mariæ, quæ in iniquitate fuerat humana solemnitate Concepta, caro fuit vtiq; peccati, quæ filium Dei genuit in similitudinem carnis peccati.* S. Ildephonsus lib. de Virg. & partur. B. Virginis ait. *Virgo licèt ipsa de carne peccati sit nata, & procreata, ipsaq; quàmuis caro peccati fuerit, non tùnc iam ex præueniente Spiritus Sancti gratia ab Angelo præ omnibus mulieribus*

bus benedicta vocatur, si non eodem Spiritu sanctificata est, & mundata, quomodò eius Caro, Caro peccati fuit, & paulò infrà ait, *quod si B. Virgo non fuisset in vtero sanctificata, minimè eius Natiuitas celebranda esset, nunc autem constat ex festo Natiuitatis, eam ab omni peccato originali immunem fuisse.*

2. Secundò quia. Eusebius Emissenus serm. 2. Nat. ait. *A peccati originalis nexu per se nullus immunis extitit, nec ipsa Dei Genetrix Redemptoris, solus enim Christus, vt de Genitrice nascatur legis veteris debito non tenetur*, ergo cùm parificet B. Virginem cum alijs per illam particulam, *nullus*: Alij autem neq; à debito, neq; ab actuali contractione sint immunes, intelligendum est, quod B. Virgo à neutro fuerit exempta. S. Anselmus lib. 2. cur Deus homo. c. 16. *Ipsa de qua summus est Christus, in iniquitatibus concepta est, & in iniquitatibus concepit eam Mater eius, & cùm originali peccato nata est, scilicèt, in vtero, quia & ipsa in Adam peccauit: & c. 13. 16. & de Excel. Virg. c. 30. ait, ipsam per fidem Christi mundatam à peccato, & Christum sumpsisse carnem de massa peccatrice.*

3. Tertiò quia, S. Bernardus, cæteroq; Virgini addictissimus, & doctissimus in sensu scripturæ, clarè stat pro affirmatiua in epist. ad Lugdunen. in serm. S. Ioannis Baptistæ; in serm. 2. de Assumpt. & in serm. super verba Apoc. signum magnum. Deinde Rupertus Abbas super Cant. 1. meliora sunt vbera tua vino: ait. *Tu veraciter dicere poteras, ecce enim in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me Mater mea, cùm enim esses de massa, quæ in Adã cõcepta est, hæreditaria peccati originalis labe nõ carebas.*

4 Quartò quia. S. Bernardinus in serm. qui incipit, ignis à facie eius exarsit; & tract. de. Beata Virg. serm. 4. & alibi. S. Antonius de Padua serm. de Nat. B. Virg. B. Lucas Minor serm. de Nat. Tres Sancti Canonizati ex ordine Prædicat & quidem B. Raymundus in serm. tit. de. Fer. ait. *B. Maria in peccato concepta fuit, sicuti cæteri homi-*

nes. S. Vincent. serm. de Concept. & serm. de Nat. *Postquam Anima fuit infusa, & coniuncta corpori, fuit B. Maria Sanctificata*, licèt in eadem hora. S. Antoninus 1. p. tit. 7. c. 2. & 3. p. tit. de Statu Comprehensorum, & 4. p. tit. 1. c. 4. & tit. 5. c. 1. innumeriq; alij relati à B. ndello l. b. 4. de Concept. c. 6. qui omnes, vel dicunt, solum Christum fuisse exemptum ab originali, vel B. Virginem fuisse ab originali mundatam.

5 Sed contrà est dicendum. Communem sensum SS. PP. esse pro negatiua. Probatur quia, Doctus Ormachæa prol 3. in Cant. ait; Nullum esse Patrem antiquum, qui expressè, & formaliter tenuerit affirmatiuam, & ex alia parte nullus est ex Patribus antiqu s adductus pro affirmatiua, qui beneficio congruæ explicationis non assistat negatiuæ, vt patebit ex solutione eorum, qui pro illa sunt adducti, ergo communis sensus SS. PP. stat pro negatiua.

6 Ad primum igitur resp. Fulgentium vel esse intelligendum de Conceptione sumpta pro fætus coagmentatione, vt innuunt illa verba, *quæ humana fuerat solemnitate Concepta*, vel intelligendum esse de debito, sufficit enim, quod B. Virgo habuerit debitum, ad hoc vt possit dici, *B. Virgo in peccato Concepta*. Verba autem ex Ildephonso adducta, nimium probant, non enim B. Virgo nata, & procreata est in peccato, aliàs ex ijs inferretur quod neq; in Natiuitate fuisset sine originali, cùm ergo non possit dici, quod in Natiuitate fuerit cùm originali, neq; in Conceptione potest dici, quod fuerit cum originali. Deindè illud, *alioquin &c.* priora verba declarant, & reddit hunc sensum. Virginis caro ex se caro peccati erat, sed caro Christi non fuit, quia Verbum eam priùs obumbrauit, quatenùs ex eius meritis factum est, nè conciperetur in peccato, neq; enim potest intelligi Ildephonsus de obumbratione Spiritus Sancti in Conceptione Verbi, quia licèt tùnc B. Virgo esset emundata à reliquijs peccati, vt Ad-

uers.

uerſ. volunt, non indè fieret, carnem Virginis non eſſe carnem peccati; & quidem ſequentia verba id ipſum confirmant, *conſtat eam ab omni peccato originali immunem fuiſſe*, vbi τὸ *immunem*, non mundationem, ſed præſeruationem importat, cùm enim loqueretur de S. Ioanne Baptiſta, & de *B.* Virgine, τὸ *immunem* ad ſolam Virginem reſtringit: deniq; quia poſtremo S. Ildephonſus addit; *nec originale peccatum in vtero ſanctificata contraxit*, clarè conijcitur, S. Ildephonſum non fuiſſe pro affirmatiua.

7 Neq; dicas, ea verba poſtrema intelligi formaliter, & reduplicatiuè, quatenùs prout ſanctificata originale non contraxit, nàm hac ratione eſſe immunem à peccato, verificatur etiam de Ioanne *Baptiſta*, & alijs in vtero ſanctificatis, nàm vt ſanctificati, immunes ſunt ab originali, addito præſertim, quia terminus, *contraxit*, non importat ſecum trahere, ſed nón admittere; & particula, *nec*, vt potè negatiua, & malignantis naturæ; efficacius omne prorſus peccatum excludit.

8 Ad ſecundum reſp. Euſebij verba clara eſſe pro negatiua, cùm enim ſolus Chriſtus aſſeratur liber à debito, parificatur *B.* Virgo quò ad debitum cùm reliquis Sanctis, exceptio enim firmat regulam in contrarium intrà idem genus exceptionis. Deindè cùm *SS.* ſolum Chriſtum exciperent, intelligendi ſunt ex vi legis, & ex vi naturæ, ità vt ſenſus ſit, nullus ex vi legis eſt immunis, ſolus Chriſtus eſt immunis ex vi naturæ, qui ſanè clarè elicitur ex illa particula, *per ſe*. Chriſtus ergo per ſe, ex vi naturæ, & ex proprijs meritis; *B.* Virgo ex meritis Chriſti immunis eſt à peccato; aliàs nec in Natiuitate fuiſſet ſinè peccato, quia ait, *nullus naſcitur ſinè peccato præter Chriſtum.*

9 Ad Anſelmum dico priùs; eius verba non fideliter citari; quia additum eſt, τὸ in vtero, vt videretur Sanctus loqui de Conceptione, quando loquitur de Natiuitate. Deindè ex Viuario in *SS. PP.* vindicatis ab Anſelmo per peccatum originale intelligi, vel fomitem, vel aliquem

aliud

alium peccati effectum, qui non sit incompossibilis cùm gratia. Deindè ea verba non esse Anselmi, sed Bonosi cũ quo Anselmus loquebatur, vel eum librum fuisse editum eo inconsulto, vt patet ex eius Præfatiuncula, vel retractasse sententiam in libro de Excellentia Virginis, & in Com. ad epist. D. Pauli ad Rom. c. 5. vbi ait, omnes mortui sunt in peccatis dempta Matre Dei siuè originalibus, siuè voluntate additis.

10 Nec dicas, Puritatem assertam ab Anselmo in lib. de Excell. Virginis, competere illi in Conceptione Verbi: & ex S. Thoma in 3. d. 3. q. 1. art. 1. puritatem huiusmodi soli Deo homini competere.

11 Contrà enim est; quia D. Anselmus tribuit eam Puritatem Virgini, ex quo disposuit filium suum dare, vt patet ex eius verbis ibi; id autem fuit ab æterno. Et S. Thomas loco cit. dicit solum hominem Deum non teneri lege peccati, atq; adeò illi deberi ex vi naturæ immunitatem à peccato originali, non item B. Virgini, quæ habet immunitatem huiusmodi ex priuilegio, & meritis Christi.

12 Demum sit pro Coronide huius Articuli, vnam vel alteram distinctionem sufficere ad explicandos SS. PP. qui stare videntur pro affirmatiua. Ea est, Virgo contraxit peccatum originale ex vi naturæ, vel contraxit quò ad debitum, concedo; ex vi priuilegij, & quò ad actualem contractionem nego. In idem recidit, quod alij dicunt, contraxit causaliter, & ex vi generationis concedo, contraxit formaliter, & in effectu nego. Ferè in idem recidit, quod alij dicunt, B. Virgo contraxit originale in Conceptione, sumpta pro fœtus coagmentatione concedo; sumpta propriè, & in rigore pro animæ, scilicet, infusione, nego.

ARTICVLVS XIII.

An aliqui SS. PP. fuerunt pro negatiua.

11 Videtur quod non. Primò quia. Si aliqui afferri possunt pro negatiua, maximè hi, qui di-

cunt.

cunt, Virginem non habuisse primam culpam, sed nomine primę culpę venit superbia, non peccatum originale; ergo. Quo eodem sensu explicandus est Origenes, dicens, *Mariam serpentis persuasione non fuisse deceptam, nec eius afflatibus venenosis infectam.*

2 Secundò quia. Aliqui solent afferri, qui dicunt, B. Virginem caruisse omni vitio omnimodè, sed nomine vitij venit habitualis malitia, quæ habetur ex actibus, vt docet S. Thomas 1.2.q.71. art.1.ad 3. qua ratione explicantur S. Antiochus, & hi, qui dicunt, B. Virginem caruisse omni reprehensione, quia reprehensio est actualiū, ideòq; docent Theologi, quod pueri, qui sunt in limbo, comparebunt in Iudicio, & subibunt iudicium, non quidem condemnationis, neq; reprehensionis, sed discussionis, & separationis à prædestinatis, quia non comiserunt actualia,

3 Tertiò quia. Aliqui solent afferri, vt S. Bruno, Concilium Francfordiense, & Timoth. Hierosol. dicentes, B. Virginem fuisse omninò liberam, sed cùm ista libertate benè stat, quod anteà per peccatum originale fuerit ligata, patet ex D. Paulo, qui ad Rom. 6. dicitur, *cùm serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* ergo.

4 Quartò quia. Ex eo quod Proclus, & alij SS. PP. dicunt, interuenisse in Conceptione B. Virginis miraculum formationis, & organizationis eius corporis, & Deum specialiter ædificasse *B.* Virginem, tanquàm organum, tabernaculum, thalamum nuptialem, & quod non inquinauerit se in tali formatione; non sequitur B. Virginem genitám ex concupiscentia parentum, non contraxisse originale, sicùt nec ex quo Deus psalmauerit corpora quorundam puerorum etiam miraculosè, vt patet in Isaac, Samuele, & alijs, non benè inferebant Pelagiani, fuisse immunes à tali peccato, nàm licèt Poza dicat, non interuenisse concupiscentiam in concubitu parentum *B.* Virginis, hoc inauditum est, nè dicam temerarium, & absq; vllo fundadamento dictum.

5 Quin-

5 Quintò quia. Ex eo quod aliqui Sancti dicunt, B. Virginem fuisse, vel dici Immaculatam, non sequitur, B. Virginem fuisse expertem peccati originalis; nàm etiam dicitur; *Beati Immaculati in via.* Et ad Eph. 1. elegit nos, vt essemus Sãcti, & Immaculati, & tamen hæc non arguunt carentiam peccati originalis. Pariter ex eo, quòd Virgo dicitur impolluta, intemerata, Virgo mente, & corpore, non sequitur, quod fuerit expers originalis, sed solum, quod non amiserit Virginitatem, cuius formale est in anima, vt docet *S.*Thomas, & materiale est in corpore, qua doctrina data explicantur auctoritates ex Ansberto, Basilio, & Georgius Nicomediensi.

6 Sextò quia. Notat S.Bonau.3.p. Breuiloquij c.7. B. Virgo ex obumbratione Spiritus Sancti perfectissimè fuit purgata à reliquijs peccati originalis, & ideò perfectè dicitur libera, integra, & mundata ab omni labe relicta ex originali peccato, ergo eodem modo intelligendi sunt Nazianzenus, & alij asserentes, B.Virginem fuisse liberam ab omni peccato, & labe.

7 Septimò quia. Ex eò quod Dion. Alexand. dixerit, B.Virginem fuisse seruatam incorruptam à pedibus vsq; ad caput, non sequitur, eam caruisse originali, nàm similia dicuntur de Absalom. 2. Reg. 14. à vestigio pedis vsq; ad caput non erat in eo vlla macula, & tamen aliquæ eius partes dictæ sunt turpes, & recens natus maculas sanguinarias admisit, ergo.

8 Octauò quia. Licèt SS.PP.dicant, Mariam restaurasse, quod Eua perdiderat; & quod eius gratia fuerit similis, vel maior gratia Angelorum, non sequitur, eam caruisse peccato originali; nàm peccatum Euæ non fuit originale, sed actuale, Eua enim peccante, & Adamo non peccante, peccatum originale non traduceretur ad posteros ex S.Thoma 1.2.q.81.art.1. & Angeli non sunt capaces peccati originalis, quod per seminalem propagationem traducitur, ergo.

9 Nonò quid. Locutio illa Damasceni; ò Beatos Ioachim Lumbos, per quos fluxit semen Immaculatum, est tropica, & figuratiua, sicùt dicebatur Arbor Scientiæ, vel Vitæ, absq; eo quod in ea esset Scientia, aut Vita, imò cùm repugnantia ad ista; neq; verùm est, Leonem Imperatorem, & Philosophum scripsisse Orationem pro pura Conceptione, esto Baronius die 8. Decem. referat, quendam Imperatorem scripsisse de Conceptione, sed non de pura Conceptione; nàm etiam inter Græcos fuit festum Conceptionis S. Ioannis Baptistæ, quam constat non fuisse puram. Deindè *Baronius* ad an. 911. n. 3. non ponit in Catalogo operum Leonis illam Orationem, imò ait, scripta Leonis fuisse deprauata, & ipsum in alijs aliquantulum suspectum.

10 Sed contrà est dicendum, quàmplures, & in numeros magni nominis, & sanctitate celebres PP. stetisse pro Immaculata, nàm vltrò nobis Aduersarij concedunt *B.* Laurentium Iustinianum, S. *Brigittam*, S. Thomam de Villanoua, Idiotam, Dionysium Carthusianum, & ipsis cõtradicentibus sunt alij plures, vt respondendo ad argumẽta planum fiet; ergo.

11 Ad primum respondeo. Superbiam dici primam culpam, quia fuit primum peccatum comissum ab Angelis, à quo deriuatum est occasionaliter peccatum originale comissum ab homine; quare superbia in vno genere respectu Angelorum est primum peccatum: peccatum originale respectu hominum, & in alio genere est primum; sicùt etiam cupiditas in alio genere dicitur principium, & caput omnium malorum. Præterea plurium Doctorum sententia est, Adę peccatum fuisse superbiam ex illo, *eritis sicùt Dij*. Idem ergo sunt superbia, & peccatum originale; si ergo superbia est prima culpa, peccatum originale est prima culpa. *A*d hanc rem non video, quomodò pertineat explanatio illa Origenis, qui, vt pa-

ter,

tet; nè verbum quidem facit de prima culpa.

12 Ad secundum resp. nomine vitij non solùm venire culpam habitualem; sed etiam actualem, imò & defectum quemlibet, sicùt etiam terminus, reprehensio, sæpè cadit suprà defectum aliquem, qui non sit culpa, patet ex illo ad Gal. restiti ei in faciem, quia reprehensibilis erat; & tamen Petrus, cui restitit Paulus ex sententia plurium SS. nullam comiserat culpam, sed defectum tantùm. Cæterum originale peccatum appellari quandoq; culpam, non negant Aduersarij vel ipsi, ex quibus non video, quomodò intendant soluere sententiam S.Germani, qui non dixit, B.Virginem nulli fuisse vitio affinem, sed nullæ culpæ. Demum pueri ideò in Iudicio comparituri non sunt in plurium DD. sententia, quia pœnam non merentur.

13 Ad tertium resp. τὸ *liberum*, significare libertatem post captiuitatem, & libertatem antè captiuitatem, patet ex cit. loco Math. quia ibi tàm de Petro, quàm de Christo dicitur, ergo filij sunt liberi, quod de Petro verificatur post solutionem tributi, de Christo autem hunc sensum non admittit; at frequentius, & communius libertatem antè captiuitatem significari, certum est apud Iuristas, nàm liber post captiuitatem non dicitur liber, sed liberatus; & S.Thomas appellat B. Virginem liberam à peccato actuali, quod certum est, nunquam fuisse ab illa contractum; cùm ergo liber, & libertas vtrumq; significet; ex contextu SS. PP. colligendum est, cui libertati debeat adaptari; at ex contextu S. Brunonis manifestè colligitur, quod debeat esse præseruatiua, habet enim ps. 101. *hæc est incorrupta Terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea contagione libera*, vbi τὸ *ab omni contagione*, significat omnem contagionem euasisse, nàm qui à culpa, vel pœna contracta liberatur, non potest dici, omnem contagionem euasisse.

14 Ad quartum resp. In Conceptione B. Mariæ Vir-

ginis non solùm interuenisse miraculum Isaac ; & Ioanni Baptistæ commune, quod nimirum fuerit ex sterili, sed miraculū speciale formationis,& organizationis corporis anticipatæ, licèt non fuerit in primo instanti coagmentationis fœtus, citius enim organizata fuit caro B. Virginis, quàm caro aliorum hominum. Hinc est, quod benè valeat argumentum D. Augustini contrà Iulianum, qui ex solo miraculo Conceptionis ex sterili, arguebat Isaac non esse conceptum in peccato originali. Verum quia SS. PP. dicunt, Deum specialiter præparasse, tanquàm sui habitaculum, thalamum, &c. B. Virginem, per specialem præparationem non intelligimus miraculum speciale mox explicatum, sed speciale priuilegium immunitatis ab originali, aliàs non fuisset idonea Mater Dei, nàm, vt ait S. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. *rationabiliter creditur, quod ea, quæ genuit vnigenitum à Patre præ omnibus Sanctis, maiora dona gratiæ, & priuilegia acceperit*, nec sanè ità est inauditum, vt Aduersi supponunt, Parentes B. Virginis conuenisse sinè concupiscentia, sed vt Deo obedirent, nàm hoc asserunt multi DD. præsertim Damasc. & S. Brigitta in suis reuelationibus.

15 Et quando SS. PP. dicunt, Christum non se inquinasse in formatione Mariæ, non requirunt miraculum distinctum à præseruatione, ità vt ex illo deindè inferatur præseruatio, sed volunt præcisè, ipsam fuisse præseruatam ab originali, nè sequatur Christum aliquo modo se inquinasse in eius formatione, vndè Augustinus lib. de 5. Hæres. *Si potui inquinari, cum ipsam facerem, potui inquinari, cùm ex ea nascerer.*

16 Ad quintum resp. Quod licet, τὸ *Immaculata*, de se vtrumq; significet, & mundationem à culpa, & præseruationem, ex ipso contextu SS. PP. colligendum est, in quo sensu debeat intelligi, & accipi; Hinc verba Photij Patriarchæ Constant. in epist. de 7. Syn. ad Principes Bulgariæ,

riæ,quæ referuntur in tertia synodo,quæ est Ephesina, declaratum esse, Dei Genitricem esse appellandam Immaculatam, clarè ostendunt, ibi τὸ Immaculatam, importare præseruationem, non mundationem à culpa, quia hoc secundum non indigebat declaratione, qua indigebat illud primum. Ex his, quo modo infertur, exponendum esse S. Basilium, qui non asserit B. Virginem fore Immaculatam, sed solùm, nihil esse comparandum cùm Puritate Mariæ?

17 Ad sextum resp. quod quãdo S. Bonau. & alij Sancti dicunt, in superuentione *Spiritus* Sancti collatas esse gratias *B.* Virgini, non loquuntur de gratijs tùnc in illo instanti collatis, sed de gratijs illi concessis ab instanti suæ Conceptionis; Hinc Albertus Magnus Lucæ 1. ait. In salutatione Angelica abstinuisse Angelum à nomine Mariæ, quia nominis mysteria reseruauit declaranda, postquàm Spiritus Sanctus in eam superuenisset.

18 Ad septimum resp. Indè probari, quod in B. Virgine fuerint etiam actualia. Deindè sicùt quando dicitur de Absalone, quòd in eo non fuit macula, non intelligitur de macula post mundationem; ità quando B. Virgo dicitur incorrupta à pedibus vsq; ad caput, non post corruptionem, sed præseruatiuè debet intelligi.

19 Ad octauum dico. Quod si Eua sola peccasset, non fuisset causa peccati originalis; At quia Adam ad peccandum induxit, ideò ipsa est, quæ perdidit iustitiam originalem, quam si Maria recuperat, expers debet esse originalis. Ad id, quod dicitur de incapacitate Angelorum respectu originalis. Resp. quod sicuti eorundem Angelorum incapacitas respectu venialium, non facit, quin gratia Mariæ similis dicatur gratiæ Angelorum, ità eorum incapacitas respectu originalis, non tollit, quin gratia Mariæ dicatur similis gratiæ *A*ngelorum in hoc, quod sicuti hi sunt creati in gratia, ità & Maria.

20 *Ad* nonum resp. certum esse à Leone Imperatore fuisse compositam Orationem de Concept. B. Virginis, quam non solùm appellat, sed & probat fuisse puram; eius verba formalia repetita habentur hom.7. de Annuntiatione. Ad id, quod dicitur de Conceptione *S.* Ioannis Baptistæ, patet, ideò eam fuisse expunctam ex albo festorum Menologij, quia non fuit Sancta. Deniq; Damasc. non tropicè, & figuraliter, sed satis apertè se declarauit pro Immaculata; quàmuis enim Arbor scientiæ talis dicatur tropicè, quia nulla ei inest capacitas ad illam, tamen B. Virgo capax fuit gratiæ præseruatiuæ; scite Damasc. orat. 1. de Nat. ait. *Natura gratiam antevertere non est ausa, sed tantisper expectauit, dùm gratia fructum suum produxisset.* Et loco cit. *ò præclaram Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis formatus est sanctissimus fœtus, idest, seclusis carnis concupiscentijs fuit formata sanctissima Virgo.* Et Orat. 2. de Assumpt. introducit filium ad Virginem sic loquentem: *Animam meam tibi caram accipe, quam à peccati labe præseruasti.*

ARTICVLVS XIV.

An Sanctus Augustinus fuerit pro negatiua.

1 Videtur, quod non. Primò quia lib. 5. contrà Iulianum c. 15. respondens argumento Iuliani, qui dicebat, quod Christi Caro, quia de Maria natus, est, cuius Virginis caro sicùt cæterorum hominum ex Adam fuerat propagata, nil distat à carne peccati, ac proindè cùm dicit Apostolus, Christum fuisse missum in similitudinem carnis peccati, &c. non negat *carnem Christi esse carnem peccati, quia caro Virginis non erat caro peccati,* qua responsione dissipasset argumentum Iuliani, sed dixit, *quod excepta carne Christi, omnis reliqua caro, est caro peccati,* ergo caro Mariæ est caro peccati per D. Augustinum.

2 Se-

2 Secundò quia. Concl.2. super pl. 134 ait, vt celerius dicam. Maria ex Adã mortua est propter peccatum Adæ, Caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata: & lib.2. de peccatorum mer. & Remis. c. 24. lib. 5. contrà Iulianum c.15. lib.1. Hypognosticon, asserit, Christum sumpsisse carnem de carne peccatrice, ergo sensit B. Virginem non fuisse immunem ab originali.

3 Tertiò quia. D. *Aug.* lib.2. Hypog. ait; omnes absque solo Christo nascendo traxerunt peccatum; *omnes*, nullum excipit, & lib.2. de Nupt. & Concup. c.27. lib. de Nat. & Gratia c.5. lib. 1. contrà Pelagium c.40. lib.4. contrà duas epist. Pelag. c.4. lib.5. contrà Iulianum c.9. & lib.3. c.6. ait. Siquis diceret, nullum animal mouere mandibulam inferiorē; inuento Cocodrillo, superaretur. Siquis diceret, nullū animal viuere in igne; demōstrata salamādra conuinceretur, ergo similiter conuinceretur *A*postolus dicens, omnes in Adam peccasse; nullum erui, nisi per Christum, si aliquis esset sine peccato, vnde c.4.9. & 24. 27. concludit; *hæc negans, ista conuellere moliens, ipsos neruos disrumpere Christianæ Religionis, veræq; pietatis aures*; ergo si nullus excipitur, etiam B. Virgo includitur in illa, omnes in Adam peccauerunt quò ad actualem contractionem.

4 Quartò quia. Sæpissimè Augustinus dicit, quod solus Christus non contraxit originale peccatum, sed illa exceptio, solum firmat regulam in contrarium, ergo sensit, B. Virginem non fuisse exemptam à peccato originali; maior patet ex lib. de perfectione iustitiæ, & tract. super Ioan. ad illud, Ecce *A*gnus Dei, lib. 2. de Pec. Mer. c.20. in Enchirid. c.48. lib.4. contrà duas epist. Pelag. c.4. lib. 1. Hyp. ait. *Solus Christus in similitudinem carnis peccati, quia non per libidinis vsum*, quæ causalis habetur etiam lib. 1. contrà Pelag. c.28. ergo cùm B. Virgo per libidinis vsum concepta sit, non fuit præseruata.

5 Sed contrà est dicendum D. Augustinum apertè fuisse pro negatiua.

6 Quin;

6 Probatur primò, quia D. Augustinus lib. de Nat. & Gratia c. 36. ait, excepta Virgine, de qua cùm de peccatis agitur, nullam prorsus propter honorem Domini volo habere quæstionem, &c. ergo propositiones vniuersales D. Augustini debent intelligi excepta Virgine.

7 Respondebis. Hic Augustinum loqui de peccato actuali, probari illis verbis, quæ ibi subdit, *indè enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum*, quia ipsùm actuale possumus vincere, non originale; addito præsertim, quod D. Augustinus hic duas ventilat quæstiones, vnam de peccato originali contrà Pelagium, alteram de peccato actuali contrà alios dicentes, aliquos sanctos viros, & sanctas fæminas fuisse, qui vixissent sinè omni prorsus peccato.

8 Sed contrà est, quià cùm hic Augustinus duas ventilet quæstiones, vnam de originali, alteram de actuali, ab vtraq; excipit Virginem illis verbis, *nullam volo habere quæstionem*. Deindè per Aduers. quando Augustinus dicit, omnes præter Christum, solus Christus non contraxit originale, B. Virgo non excluditur ab illa vniuersali, omnes; ergo quando Augustinus dicit, nullã volo habere quæstionem; non potest Virginem includere in aliqua quæstione. Deindè falsum est, D. Augustinum eo lib. de Nat. & Gratia loqui de peccato actuali, vt patet ex eius lib. c. 4. Præterea falsum est, solùm actuale esse à nobis vincibile, nàm etiam originale vincibile à nobis est per Dei gratiam. Deniq; Pelagius inter eos, quos dixit sanctè vixisse, enumerat plures, qui non comiserunt actuale, & Ioannes Baptista, Anna, Elisabeth, vt ergo veritas in eis sit, & verè clament, *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est* necesse est, ibi Augustinum loqui de peccato originali, à quo excipit Virginem, cùm eiusdem Augustini regula sit, excipiendam esse Virginem à regulis generalibus, quæ non conueniunt eius sanctitati, & singulari gratiæ sibi collatæ.

9 Pro-

9 Probatur secundò. Quia lib. 5. contra Iulianum c. 15. ait, omninò verissimum esse, quod quia Christus non fecit peccatum, habere non potuit, profectò enim peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset, nàm proptereà nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu, sed B. Virgo nullum habuit actuale peccatum, ergo neq; habuit originale.

10 Respondebis. Hinc inferri solummodo, quod in Natiuitate significata per illa verba, *infantilis ætatis exortu*, B. Virginem caruisse originali, non tamen in Conceptione, in qua locum non habet ætas infantilis, quæ dicit durationem, quam non est assignare in primo instanti Conceptionis. Deindè, esto argumentum Augustini teneat ratione materiæ, quia verè in Christo, in quo non fuit actuale, neq; fuit originale, tamen peccat ratione formæ; quia est ab actu ad potentiam negatiuè; non peccauit, ergo neq; peccare potuit; neq; ex carentia originalis, licet inferre carentiam actualis, est instantia manifesta in Angelis, & Eua, qui caruerunt originali, & tamen actualiter peccauerunt.

11 Sed contrà est; Quia si τὸ *infantilis ætatis exortu*, importat Natiuitatem, ergo non benè Augustinus indè arguit, Christum esse Conceptum sinè originali; neq; benè inferret, nullum præter ipsum, natum sinè originali; nàm & *B.* Virgo, Ioannes Baptista, & Hieremias nati sunt sinè originali; quòd si *B.* Virgo, non obstante illa regula generali, quòd omnes nascantur in originali, fuit in Natiuitate exempta, cur non & in Conceptione? Deindè illatio illa Augustini; *etiam maior fecesset, si paruulus habuisset*, locum habet in *B.* Virgine à posteriori, cùm enim nullum actuale commiserit, neq; comisit originale, quòd significatur per τὸ *si paruulus habuisset*; Tum quia peccatum origi-

ginale, dicitur peccatum paruulorum, tùm quia, per *Tò habere*, exprimitur originale, sicùt per facere, exprimitur actuale, vt etiam supra diximus, per comitere in phrasi D. Thomæ intelligi actuale, per contrahere intelligi originale. Denique haud verè dicitur, argumentum Augustini esse ab actu ad potentiam negatiuè; potiùs enim est ab effectu ad causam, non peccauit actualiter, ergo neq; peccauit originaliter, nàm peccatum actuale est effectus originalis; vndè *Tò non potuit*, facit hunc sensum, non potest esse verum, quod non habens actuale, habeat originale; Cæterum sicut illud argumentum locum habet in B. Virgine vi formæ, ità defectu materiæ, & quia tàm Eua, quàm Angeli non fuerunt capaces originalis, non valet in illis. Et quia Augustinus dicit ibi, quod cæteri homines ideò habent auctualia, quia habent originale, manifestè deducitur, illud argumentum non valere in Christo ratione materiæ, & quia est impeccabilis vi vnionis ad Diuinum suppositum; demum dato, quod valeat ratione materiæ, & quia Christus fuit impeccabilis vi vnionis ad Diuinum suppositum, debet pariter valere in B. Virgine, quæ fuit impeccabilis ratione maternitatis, cui moraliter peccabilitas, & peccatum omne repugnat.

12. Probatur tertiò ex serm. 20. de Nat. Domini ad Fratres vbi ait: Igitur in Cœlo qualis Pater est, talis est & filius; & in terra qualis mater, talis est secundùm carnem filius, ergo si in matre poneretur originale, poneretur & in filio.

13. Neq; dicas primò: Ibi Augustinum fuisse hyperbolicè locutum, nàm aliàs nil valerent auctoritates Augustini, & aliorum SS. PP. apud hæreticos, qui facilè possent respondere, SS. PP. hyperbolicè loqui, & ità nihil ex eorum auctoritate confici contrà illos; vti etiam Aduers. obijciunt Echio asserenti, D. Augustinum hyperbolicè locutum contrà Pelagianos. Deindè Augustinus ibi non

com-

comparat filium matri, sed potiùs matrem filio, vndè potiùs videre minuere, quàm nimium extollere per hyperbolem; deindè eadem comparatio inter matrem, & filium in creatis, est inter Patrem, & filium in Diuinis, sed hæc non est hyperbolica, ergo nec illa.

14 Neq; dicas secundò. Comparationem D. Augustini valere quò ad Virginitatem; nàm cùm sit vniuersalis, non debet coarctari ad Virginitatem tantùm; præsertim cùm comparatio quò ad Virginitatem etiam sit proportionalis, Virginitas enim Christi est excellentior, illiq; competit ex vi naturæ, Mariæ verò ex priuilegio.

15 Neq; dicas tertiò. Ibi D. Augustinum loqui de Puritate, quam habuit B. Virgo in Conceptione filij, non quando fuit ipsa concepta in primo instanti, quia ait Augustinus ibi, *fuisse omni sanctitate in vtero repletam*. Nàm contrà est, quia fuisse, omni sanctitate in vtero repletam, nòn significat vterum Virginis, sed vterum Sanctæ Annæ, aliàs fuisset impropria locutio S. Augustini, cùm enim obumbrante Spiritu Sancto concepetit, non benè diceretur in vtero repleta gratia, sed in anima, quia iàm habebat in vtero fontem gratiæ, idest, Christum.

16 Probatur quartò principaliter conclusio quia. Lib. de 5. Hær. ait Augustinus. Si potuit inquinari mater mea, cùm ipsam facerem, potui inquinari, cùm ex ea nascerer. Neq; dicas, hoc testimonium non citari fideliter, dicit enim Augustinus ibi, vt notat Bandellus. Quod Deus mũdauit eam ab iniquitate, & ipse non est inquinatus; nàm Bandellus valdè infidelis deprehenditur in cit. auctoritatibus, & mens Augustini clariùs elicitur ex alijs locis præter adducta iàm.

17 In serm. de Nat. ait. Magnifica illum, ò Virgo Beatissima, qui Te ab omni peccato super omnes præseruauit, quis enim dicere potuit, sinè peccato sum natus, aut mundus sum ab omni peccato, nisi Virgo illa pruden-

tissima, animatum templum Dei excelsi, quam Deus sic elegit, & praelegit antè mundi constitutionem, vt Sancta, & Immaculata esset Dei Mater, & filia ab aeterno praeseruata; incorrupta ab omni labe peccati: & ex lib. super Gen. Cum subiectio peccati originalis caput sit diaboli, tale caput Maria contriuit, quia nulla peccati subiectio ingressum habuit in animam Virginis, & ideò ab omni macula immunis fuit.

18 Ad primum respondeo. Carnem Mariae fuisse carnem peccati, quia habuit debitum contrahendi; & sanè si Augustinus respondisset Iuliano, carnem Virginis non fuisse carnem peccati, non solùm non dissipasset illius argumentum, sed vim maiorem illi addidisset, si enim Iulianus ex immunitate solius Christi, ab originali arguebat, caeteros quoq; homines originale non contraxisse, fortius, & efficacius id intulisset, si audiuisset ab *Augustino*, B. Virginis carnem, non fuisse carnem peccati, seù peccatum non contraxisse.

19 Ad secundum resp. Et quidem priora verba fideliter non citari, addita est enim illa particula, *Adae*, quae non est in textu, vt videretur, D. Augustinus loqui de morte spirituali, quae est per peccatum, reuerà autem Augustinus ibi loquitur de morte corporali, quia ait; Christus est mortuus propter delenda peccata; certum est autem Christum esse mortuum corporaliter. Deindè quando Augustinus dicit, Christum sumpsisse carnem peccatricem, non intelligit, per *Τὸ* peccatricem carnem, quae habuerit vel peccata, vel debitum peccati, aliàs Christus vel habuisset originale, vel debitum habendi illud, sed intelligit carnem ex illa massa, quę debuerat peccatum contrahere, quae est caro Virginis.

20 *Ad* tertium resp. omnes contrahere originale, & nullum excipi ex vi naturae, & ex vi legis vniuersalis, non verô ex vi priuilegij; qua eadem responsione soluuntur instan-

ſtanciæ de Cocodrillo, & Salamandra, quia ex vi naturæ includuntur in lege aliorum, ex vi Diuinæ omnipotentiæ, & ſpeciali priuilegio, nil prohibet aliquos excipi ab aliorum lege communi, & vniuerſali.

21 Ad quartum. Benè arguere Auguſtinum, nullum excipi præter Chriſtum, vel ſolum Chriſtum excipi, quia Pelagiani volebant Paruulos eſſe ſinè originali ex vi naturæ, ideòq; non indigere Baptiſmo, & Redemptione per Chriſtum; at nos B. Virginem excipimus ex meritis, & Redemptione preſeruatiua Chriſti; Prætereà ſicùt eſt lex generalis, quòd omnes naſcantur in originali, & tamen ab hac lege excipitur B. Virgo nullo contradicente, cùm non poteſt excipi ab originali etiam in Conceptione, Salua, & incolumi locutione vniuerſali Auguſtini, quod omnes contrahant, præter Chriſtum, quod nullus excipiatur, niſi Chriſtus.

ARTICVLVS XV.

An Sancti Ambroſius, Hieronymus, & Gregorius fuerint pro negatiua.

1 Videtur quod non. Primò quia S. Ambroſius ſuper Lucam, ait. Solus enim per omnia ex natis de fæmina Sanctus in Conceptione fuit Dominus Ieſus, qui terrenæ contagia corruptelæ, partus Immaculati nouitate non ſenſerit, & cœleſti Maieſtate depulerit, ſed per hæc verba Chriſtus excipitur à cõtrahendo originali, & quia non natus ex concupiſcentia, & quia Deus; quo vtroq; cùm careat B. Virgo, non eſt exempta ab originali per D. Ambroſium. Deindè S. Ambroſius in pſ. 118. ait; ſolus Chriſtus eſt, quem retia non inuoluerunt peccatorũ, quia nemo ſinè peccato, niſi ſolus Ieſus, qui non in peccato venit, ſed in ſimilitudinem carnis peccati. Deniq; à D. Auguſtino affertur S. Ambroſius ad probandum con-

trà Pelagianos, peccatum originale contrahi ab omnibus, nullo excepto.

2 Secundò quia. D. Hieronymus in ps. 21. ait. *Anima* Christi vnica dicitur, quia non habet peccatum illa sola, & aliæ animæ ab ipsa mundantur. Et in epist. ad *Aglasiam* in resp. ad. 8. q. ait sententiam sequimur, quod nullus homo sinè peccato sit absq; illo solo, qui peccatum non fecit; vndè per Salomonem dicitur, quod serpentis vestigia non reperiuntur in petra. Et Hom. 3. in Cant. Solus est Dominus, & Saluator, qui peccatum non fecit, sed peccatum eum Pater fecit, vt in similitudinem carnis peccati, de peccato damnaret peccatum.

3 Tertiò quia. S. Gregorius 25. moral. cap. 1. ait, quia mortalitatis propagatione nascimur, radicis amaritudinem quasi in virgulto retinemus: & Hom. 9. in Ezech. quid lumborum nomine, nisi mortalitatis propago exprimitur, quo supposito; consequenter primo loco addit. De lumbis enim Abrahæ Virgo Mater exiuit, in cuius vtero vnigenitus Patris per Spiritum Sanctum incarnari est dignatus, ergo sētit, quod Maria de propagine mortis venerit: Et lib. 9. moral. c. 31. lib. 1. c. 12. ait; Solum Christum fore sinè peccato, & in solo Christo complacuisse Patrem, quia in solo Christo non inuenit peccatum.

4 Sed contrà est dicendum; Tres istos sanctissimos Viros, & Ecclesiæ Doctores fuisse pro negatiua.

5 Probatur primò de S. Ambrosio; qui in ps. 118. introducit Christū, sic loquētē; *suscipe me non in carne, quæ in Adam lapsa est suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, vt incorrupta sit Virgo sed Virgo per gratiā ab omni integra labe peccati;* Arpalegus legit, *suscipe me in carne, qua in Adam lapsa est*, vt ablata particula, non, trahat S. Ambrosium in suum sensum; cùm sic, Christus fuit ex carne, & non ex Sara, sed ex Maria, sed nata ēst ex carne, quæ in Adam lapsa non est; ergo caro Mariæ non est lapsa in Adam; vtraq;

præ-

premissa est D.Ambrosij; consequentiã quis negabit? Deindè illa, *vt incorrupta sit Virgo*, non intelligitur de Virginitate restituta, sed præseruata, ergo etiam sequentia, *ab omni integra labe peccati*, deberet intelligi non de gratia restituente integritatem in anima, sed de præseruante illam; Deindè D.Ambros.com.in Isaiam ait; Hæc est Virgo, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit; quæ verba, licet in impressionibus modernis non legantur, in antiquissimis omninò habentur, & in Breuiario Rom.impresso Lugduni an.1544.& Edito Venetijs apud Iuntas an. 1550. reperiri etiam in Breuiario Ambrosiano Eccles. Mediol. fatetur Granadus disp.3. c. 10. Deindè in officio Franciscano à Pio V. approbato. Et quidem D.Ambrosius 2. in Lucam, fatetur se Commentaria in Isaiam edidisse, quæ fortasse temporis iniuria periere.

6. Probatur secũdò de D.Hieronymo; qui tũ in epist. ad Eust.tũ in serm.de Assũpt.dicit, quod Virgo nũquàm fuit corrupta, quod fuerit Immaculata quò ad corpus, & quò ad animã, sed nõ fuit incorrupta & Immaculata quò ad corpus corruptione restituta, sed præseruata, ergo etiã quò ad animam fuit incorrupta præseruatiuè. Deindè D. Hieronymus dicit; Quod Puritas Mariæ fuit maior puritate Angelorum, qui sicuti fuerunt firmati, nè caderent, ità & Maria; at si B.Virgo contraxisset originale, vtiq; cecidisset, nàm cadere is dicitur, qui non cadit propria voluntate, qui enim cadit propria voluntate, dicitur potiùs se præcipitare, quàm cadere, ergo Maria dicitur firmata, nè caderet in originale; deindè non cadere propriè dicitur, qui nec primum casum sustinuit; non qui post casum resurrexit; Deniq; D.Hieronym. in ps.77. ait nubes, dicitur B. Virgo, & nubes Diei; quia nunquàm fuit in tenebris, sed semper in luce; neq; enim semper fuit in luce, quia mũdata ab originali,& nulla peccati labes eã obscurauerit; id enim posset etiam dici de Sancto Ioanne Baptista,

tista, & terminus, *semper*, vniuersaliter distribuit pro omnibus, & singulis instantibus, maximè quia τὸ *semper* aduersatiuè positum post illud, non, importat Mariam nunquàm fuisse in tenebris, ideòq; in nonnullis codicibus legitur, nunquàm fuit in tenebris; quod sanè potest confirmari ex alijs verbis D. Hieronymi, & sunt; quidquid in Maria gestum est, totum puritas, totum veritas, totum gratia fuit.

7 Tertiò probatur de D. Gregorio, qui explicans illud Isaiæ 2. erit in nouissimis diebus præparatus Mons domus Domini in vertice montium; vbi ait, Mons quippè in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit, &c. *An* non sublimis Maria, quæ vt Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem suprà omnes Angelorum choros vsq; ad solium Deitatis erexit? At non posset verificari, quod B. Virgo excesserit omnes Angelos, si contraxisset originale, quo caruerunt Angeli, & æqualis fuisset cùm aliquibus Sanctis sanctificatis in vtero, si solum fuisset in vtero sanctificata; nàm ex eo quod caruerit venialibus, non potest dici, quod omnes Sanctos excesserit; nàm probabiliter plerіq; putant, S. Ioannem Baptistam caruisse venialibus; prætereà non excessisset omnes Sanctos omni modo, ità vt eue&ta fuerit ad solium Diuinitatis, quia fuisset infrà solium Diuinitatis, fuisset enim aut par, aut etiam inferior Angelis.

8 Ad primum resp. In eo sensu nullum excipi à contractione originalis, quo dicitur Christus fuisse exemptus, & quia Christus est exemptus ex vi naturæ, & Conceptionis, ideò ex vi naturæ, & Conceptionis omnes, & etiam *B.* Virgo contrahunt; quod clarè conijcitur primo ex eo, quia vtitur Augustinus auctoritate *A*mbrosij contrà Pelagianos asserentes, nullum contrahere peccatum originale ex vi naturæ, & Conceptionis. Secundò, quia D. Ambrosius loquitur de peccatis actualibus, ergo sicùt excipien-

piendo solum Christum, non includitur Virgo quò ad actualia, ità excipiendo solum Christum, non includitur Virgo quò ad originale.

9 *Ad* secundum dico. Eodem modo intelligendum, & explicandum esse D. Hieronymum, quod solus Christus fuerit finè peccato ex vi Conceptionis, & naturæ. Deindè Hieron. loquitur de peccatis actualibus, à quibus sicùt excluditur B. Virgo non obstante, quod solus Christus dicatur exclusus, ità potest excludi Virgo à contrahendo originali, quamuis solus Christus dicatur exclusus. Cæterum quando ait Hieronym. quod vestigia serpentis non inueniuntur in Petra, maximè fauet nostræ sententiæ, nàm Guerricus *Abbas* per Petram etiam B. Virginem intelligit, nàm exponens illud Zach. 4. & eduxit lapidem primarium ait; si ergo Petra Christus, vt ait Apostolus, non degenerat à Matre filius, quoniam & ipsa Petræ nomine censetur.

10 *Ad* tertium dico. Quod etiam Christus dicitur descendisse ex lumbis Isaac, & *Abrahæ*, & tamen haud est verum, gustasse amaritudinem peccati; vndè quandò dicitur solus finè peccato à D. Gregorio, non est aliter tex. intelligendus, ac alij supra adductis S. *Augustini*, Ambrosij, & Hieronymi.

ARTICVLVS XVI.
An D. Thomas fuerit pro negatiua.

1 Videtur quod non. Primò quia; D. Thomas opusc. 8. ait; *Christus excelluit B. Virgini in hoc; quod finè originali conceptus, & natus est; B. Maria in originali est concepta, sed non nata*. Et in ps. 13. ad illa verba, non est, qui faciat bonum, non est, vsq; ad vnum; ait, *vsq; ad Christum, quia ipse solus nec peccatum contractum habuit, nec comissum, sed B. Virgo habuit peccatum contractum*. Idem habet quodlib. 6. q. 5. art. 7; I 2 Se;

2 Secundò quia. D.Thomas docet, quod solus Christus non contraxit peccatum originale ps. 45. ad illa verba, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Et ps. 50. ad illa verba, eccè in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.

3 Tertiò quia. Mens S. Doctoris colligenda est ex ijs locis, vbi hanc quæstionem tractat ex professo, non verò ex solutione alicuius argumenti in extraneo loco, aut quādo de hac quæstione per transennam, & obiter tractat, sed in locis, vbi hanc quæstionem tractat, tenet, quod B. Maria concepta est in peccato originali, ergo.

4 Sed contrà est dicendum, D. Thomam fuisse pro sententia negatiua.

5 Probatur primò quia. Mens D. Thomæ colligenda est ex ijs locis, in quibus hanc quæstionem tractat ex professo, sed quandò D. Thomas tractat hanc quæstionem ex professo de peccato originali, & sanctificatione B. Mariæ Virginis loquitur de debito, & ex vi legis, vt docet Ioannes à S. Thoma clarissimus Thomista ex Ordine Prædic. cuius verba transcripta habes apud Armamentarium Seraphicum, ideòq; hic non transcribuntur, ergo quandò in ps. & alijs locis docet, B. Virginem contraxisse peccatum, intelligendus est de debito, & non de actuali contractione, aut saltem hæc interpretatio non erit violenta, & per consequens D. Thomas ritè, & rectè intellectus non est contrarius negatiuæ.

6 Probatur secundò quia. Tota ratio, cùr aduers. sibi persuadent, D. Thomam fuisse contrarium negatiuæ, est, quia aliàs sequeretur, B. Virginem nō indiguisse Redemptione per Christum, sed ad indigentiam Redemptionis sufficit, quod B. Virgo habuerit debitum, vt patet ex D. Thoma in 4. d. 43. art. 4. ad 3. ait enim, *oportet autem ponere, quod quilibet personaliter indigeat Redemptione Christi, non solùm ratione naturæ, liberari autem à malo, vel à debito*

absq.

absolui non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus est, ergo ad liberationem, seù Redemptionem sufficit contraxisse debitum; quod velint, nolint Aduers.Caietanus confirmat 1.2.q.81.art.3.vbi ait; *Si enim peccatum originale vel in actu, vel in necessitate habendi, quis non incurreret, non indigeret Redemptione, quod hæreticum esset dicere; sed si omnes sint obnoxij peccato originali, sufficit ad indigentiam Redemptionis, neq; enim Redemptione eget actualiter captiuus, sed etiam obnoxius captiuitati.*

7 Probatur tertiò quia; In Doctrina D. Thomæ benè stat, quod aliquis incurrat debitum culpæ, absq; eo, quod incurrat culpam, nàm D. Thomas loco cit. subdit, *potest Deus alicui ex misericordia relaxare peccatum, ad quam obligatur ex culpa præterita, sicùt adulteram sinè pæna dimisit, & similiter poterit liberare à morte eos, qui reatum mortis contraxerunt*, ergo ex mente D. Thomæ aliud est reatus mortis, aliud est mors, & sic à simili, aliud est debitum culpæ, aliud est culpa.

8 Probatur quartò quia: Si quando D.Thomas dicit, B.Virginem contraxisse originale, non intelligeretur de debito, esset sibi contrarius, nàm alibi dicit, B.Virginem fuisse à peccato originali immunem, ergo nè admittamus fuisse illum sibimetipsi contrarium, debemus sic illum intelligere, vt quando dixit, contraxit peccatum, intelligatur de debito; & quando dicit, immunis fuit à peccato, vel non contraxit, debeat intelligi de immunitate à culpa. Quod autem D.Thomas alibi dicat, B.Virginem fuisse immunem ab originali, patet ex ijs, quæ docuit in p. d. 44. q.1.art.3.ad 3. *Talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit, tamen sub Deo, quia in ea fuit potentia ad peccandum.*

9 Sed ad hanc auctoritatem resp. τὸ *immunis*, verificari de B.Virgine, etiamsi peccatum originale contraxerit, dummodò fuerit ab illo perfectè mundata, & sanctificata,

2 Secundò quia. D.Thomas docet, quod solus Christus non contraxit peccatum originale ps. 45. ad illa verba, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Et ps. 50. ad illa verba, eccè in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.

3 Tertiò quia. Mens S. Doctoris colligenda est ex ijs locis, vbi hanc quæstionem tractat ex professo, non verò ex solutione alicuius argumenti in extraneo loco, aut quādo de hac quæstione per transennam, & obiter tractat, sed in locis, vbi hanc quæstionem tractat, tenet, quod B. Maria concepta est in peccato originali, ergo.

4 Sed contra est dicendum, D. Thomam fuisse pro sententia negatiua.

5 Probatur primò quia. Mens D. Thomæ colligenda est ex ijs locis, in quibus hanc quæstionem tractat ex professo, sed quandò D. Thomas tractat hanc quæstionem ex professo de peccato originali, & sanctificatione B. Mariæ Virginis loquitur de debito, & ex vi legis, vt docet Ioannes à S. Thoma clarissimus Thomista ex Ordine Prædic. cuius verba transcripta habes apud Armamentarium Seraphicum, ideòq; hic non transcribuntur, ergo quando in ps. & alijs locis docet, B. Virginem contraxisse peccatum, intelligendus est de debito, & non de actuali contractione, aut saltem hæc interpretatio non erit violenta, & per consequens D. Thomas ritè, & rectè intellectus non est contrarius negatiuæ.

6 Probatur secundò quia. Tota ratio, cùr aduers. sibi persuadent, D. Thomam fuisse contrarium negatiuæ, est, quia aliàs sequeretur, B. Virginem nō indiguisse Redemptione per Christum, sed ad indigentiam Redemptionis sufficit, quod B. Virgo habuerit debitum, vt patet ex D. Thoma in 4. d. 43. art. 4. ad 3. ait enim, *oportet autem ponere, quod quilibet personaliter indigeat Redemptione Christi, non solùm ratione naturæ, liberari autem à malo, vel à debito*

abso-

absolui non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus est, ergo ad liberationem, seu Redemptionem sufficit contraxisse debitum; quod velint, nolint Aduers. Caietanus confirmat 1.2.q.81.art.3. vbi ait; *Si enim peccatum originale vel in actu, vel in necessitate habendi, quis non incurreret, non indigeret Redemptione, quod hæreticum esset dicere; sed si omnes sint obnoxij peccato originali, sufficit ad indigentiam Redemptionis, neq; enim Redemptione eget actualiter captiuus, sed etiam obnoxius captiuitati.*

7 Probatur tertiò quia; In Doctrina D. Thomæ benè stat, quod aliquis incurrat debitum culpæ, absq; eo, quod incurrat culpam, nàm D. Thomas loco cit. subdit, *potest Deus alicui ex misericordia relaxare peccatum, ad quam obligatur ex culpa præterita, sicùt adulteram sinè pœna dimisit, & similiter poterit liberare à morte eos, qui reatum mortis contraxerunt*, ergo ex mente D. Thomæ aliud est reatus mortis, aliud est mors, & sic à simili, aliud est debitum culpæ, aliud est culpa.

8 Probatur quartò quia: Si quando D. Thomas dicit, B. Virginem contraxisse originale, non intelligeretur de debito, esset sibi contrarius, nàm alibi dicit, B. Virginem fuisse à peccato originali immunem, ergo nè admittamus fuisse illum sibimetipsi contrarium, debemus sic illum intelligere, vt quando dixit, contraxit peccatum, intelligatur de debito; & quando dicit, immunis fuit à peccato, vel non contraxit, debeat intelligi de immunitate à culpa. Quod autem D. Thomas alibi dicat, B. Virginem fuisse immunem ab originali, patet ex ijs, quæ docuit in p. d. 44. q. 1. art. 3. ad 3. *Talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit, tamen sub Deo, quia in ea fuit potentia ad peccandum.*

9 Sed ad hanc auctoritatem resp. τὸ *immunis*, verificari de B. Virgine, etiamsi peccatum originale contraxerit, dummodò fuerit ab illo perfectè mundata, & sanctifi-

cata, nàm hac ratione D. Thomas in 2.d.31. art. 2. ad 1. ait, *quod Baptizatus est immunis à peccato.* Et Canonistæ c. fin.de purgatione Canonica docent, quod ille, *cui dimissum est peccatum per pœnitentiam, est immunis à peccato.*

10 Sed contrà est. Primò quia licèt *Tò immunis*: æquè significet immunitatem præseruatiuam, & mundatiuam, tamen hic omninò debet sumi pro præseruatiua, quia hic S. Thomas dicit, B. Virginem æquè fuisse immunem ab originali, ac ab actuali, sed ab actuali est immunis præseruatiuè, ergo etiam ab originali; vndè tex. Canonicus adductus non est ad rem, quia ibi immunitas sumitur pro mundatiua; & quod ità debeat sumi colligitur ex antecedentibus, & consequentibus. Hinc est, quod pariter ex tex. Canonico l. decem de V.S. & l. non vtiq; ff. de exceptionibus habeatur libertas, seù liberatio præseruatiua, nàm miles ab alio milite liberatus, nè in hostiũ potestatem veniret, etiamsi nunquàm seruus eius extitisset, liberatus censetur; qua eadem phrasi vtitur S. Augustinus in illud ps. 85. eruisti animam meam ex inferno inferiori; sicùt ergò liberatio, seù libertas est liberatiua, & præseruatiua, ità vt ex antecedentibus, & consequentibus discerni debeat, quando in vno, vel in altero sensu accipienda sit, ità & immunitas.

11 Contrà secundò quia. Ibidem ait S. Thomas, *quod Puritas B. Virginis fuit talis, vt nihil purius ea esse possit in rebus creatis, & nulla contagione peccati inquinata, tamen sub Deo, in quãtũ ni ea fuerit potentia ad peccãdũ*; quibus verbis multipliciter denotatur immunitas B. Virginis ab originalli; nàm primò nihil purius esse potest puritate Mariæ, si careat originali, secus, si haberet originale, quo carent aliquæ Creaturæ, vt *Angeli*, & primi parentes. Secundo notanter dixit, *nulla*, per quam particulam excluditur omnis macula, & consequenter etiam originalis, quæ significanter, indicatur per *τὸ contagione*, nàm contagium propriè

est

est ab originali. Tertiò dicitur, quod in ea fuerit potentia ad peccandum, vbi per potentiam, vel intelligitur solum debitum, & habetur intentum, vel importat in B. Virgine fuisse tantùm potentiam ad peccandum, qua caret Deus, & sic in ea non fuit peccatum originale, aliàs non fuisset in Virgine solùm potentia ad peccandum.

12 Probatur quintò. Ostendendo in gratiam doctrinæ Thomisticæ, & maiorem intelligentiam S. Thomæ, quod liberare Virginem à peccato originali non opponitur principijs Thomisticis, nec inuertit ordinem decretorum Dei in via Thomistica. Thomistarum ergo doctrina est, Adamo non peccante, Christum non venturum; decreta est ergo Christi Incarnatio post Adæ peccatum, quo totius humani generis est massa damnata, in qua cùm inclusa fuerit B. Virgo, & posteriora fuerint Christi merita; etiam vt præuisa, redditur impossibilis præseruatio B. Virginis ab originali, cùm ad præteritum non detur potentia, esto potuerit à culpa iàm contracta mundari; quòd si B. Virgo non fuisset inclusa in massa illa, non indiguisset Redemptione, quæ se extendit ad omnes, qui in Adam peccauerunt: sed his principijs, & hac doctrina stante, adhuc potest afferi præseruatio B. Virginis ab originali, nàm decretum illud de transfundendo peccato originali in omnes Adæ posteros, vel fuit conditionatum, vel absolutum; si conditionatum; illud Decretum admittit hũc sensum; Omnes Adæ posteri contrahent originale, nisi ego aliquem excepero, vndè si Deus excepit B. Virginem, & ab illa massa segregauit, stat illius præseruatio cùm illo Decreto.

13 Si verò fuit absolutum; nil prohibet, posse dici absolutum quò ad transfundendum debitum, & non quò ad transfundendam culpam, qua ratione Caietanus opusc. de Concept. c. 3. intelligit illud Apostoli ex mente S. Thomæ 1.2. q. 81. art. 3. per vnum hominem peccatum intra-

uit

uit in mundum, & per peccatum mors; ficùt enim mors sufficienter saluatur, quod fuerit in omnes transfusa vel actu, vel in debito in propria persona, ità peccatum saluatur, peccatum esse transfusum vel in actu, vel secundum debitum; & expresfsè Caiet. loco cit. 1.2. q.81. explicat D. Thomam, de contractione peccati originalis vel actu, vel secundum debitum ad saluandam indigentiam Redemptionis his verbis; neq; enim indiget Redemptione, qui est actu captiuus, sed etiam qui est obnoxius captiuitati.

14 Probatur sextò ex triplici alia consimili via, & Doctrina Thomistarum; Quarum prima est; Quia docent Thomistæ, SS. PP. non potuisse mereri Incarnationem Christi quò ad substantiam, quia eorum merita fundantur in Gratia Christi, qui iàm supponitur absolutè futurus, potuisse tamen mereri Incarnationem quò ad circumstantias, nempè, quod Christus veniret hoc, vel illo tempore; quod nasceretur in hoc, vel in alio loco, similiter in pacto de transfundendo peccato in posteros Adæ, possumus distinguere substantiam huius pacti, & circumstantias; & quidem substantia est, omnes in eo pacto includi quò ad debitum, & obnoxietatem contrahendi originale; circumstantia verò est nasci, vel concipi in peccato. Esto igitur, quod per merita Christi iàm absolutè præuisi, B. Virgo non fuerit exclusa à pacto quò ad substantiam, & quò ad debitum, & obnoxietatem; tamen quo ad circumstantiam, scilicèt, quod conciperetur, vel nasceretur in peccato, potuit per merita Christi obtinere, quod non conciperetur. Imò sicùt stante tali Decreto, & pacto, plures nasci sinè peccato, est in confesso, ità stante illo decreto, & pacto, potest B. Virgo esse exclusa ab actuali contractione in instanti suæ animationis.

15 Secunda Doctrina est, quia D. Thomas 3. p. q. 1. art. 3. docet, peccato Adæ non existente, Christum non ven-

venturum, & tamen concedit in Adamo in statu innocentiæ fuisse fidem mysterij Incarnationis, quæ fides vtiq; fuit ex meritis Christi; tùm sic, merita Christi fuerunt applicata Adæ in statu innocentiæ, atq; adeò antè peccatum, quamuis non fuerint præuisa, nisi post Adæ peccatum, ergo etiam merita Christi, quamuis præuisa post inclusionem B. Virginis in pacto de contrahendo peccato in propria persona, potuerunt applicari B. Virgini, & per illa liberari B. Virgo à contractione in propria persona; sicùt enim in primo casu applicatio meritorum Christi, quæ non erat futura ex vi status innocentiæ, fuit futura ex vi meritorum Christi, ità contractio peccati originalis in propria persona, quæ erat futura ex vi pacti, in quo erat inclusa B. Virgo, potuit non esse futura ex vi meritorum Christi, nàm ex alia doctrina D. Thomæ 1. p. q. 19. art. 7. ad 2. quod aliquid futurum ex vi causæ inferioris, potest non esse futurum ex vi causæ superioris, & è contrà, ità mors Ezechielis erat futura ex vi causæ inferioris, & fuit nō futura ex vi causæ superioris, è cōtrà resurrectio Lazari nō erat futura ex vi causæ inferioris, & fuit futura ex vi causæ superioris; pariter ergo applicatio meritorū Christi non futura ex vi status innocentiæ in Adam, fuit futura ex vi meritorum Christi, & è contrà, nàm contractio peccati originalis in propria persona, quæ erat futura ex vi pacti, in quo erat B. Virgo inclusa, potuit non esse futura ex vi meritorum Christi.

16 Tertia Doctrina est, quia ex doctrina cit. supra D. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. ad 2. *Deus non alligatur legi vniuersali Sacramentorum, qua decreuit omnes saluare per sacramenta iuxtà illud, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cælorum, potest enim quemlibet saluare, & à peccato mundare sinè sacramentis*; Ità Deus non alligatur legi illi vniuersali de transfundendo peccato in posteros ex vi pacti initi cùm Ada, sed po-

test

teſt ex meritis Chriſti quempiam liberare à tali cōtractione, præcipuè Matrem ſuam, quæ propterea non excluderetur à neceſſitate Redemptionis, ſed tribueretur Chriſto ſpecialis modus redimendi Matrem ſuam; ità Caiet. 3.p. q.27.art.2.vbi habet: *Si tenetur, B. Virginem non ex vi Conceptionis, ſed ex gratia ſingulariſſima in ipſo inſtanti infuſionis animæ præſeruatam fuiſſe ab originali, quod tùnc incurriſſet, niſi illa gratia adfuiſſet, nihil contrà fidem tenetur, ſed ſpecialis modus redimendi, & ſaluandi à peccato originali, Chriſto attribuitur, reſpectu ſuæ Matris, ergo præſeruatio B. Virginis ab originali non eſt contrà principia Thomiſtica.*

17. Ad primum reſp. Quod B. Virgo dicitur contraxiſſe peccatum originale quò ad debitum contrahendi, nō quò ad actualem contractionem, quo eodem modo explicanda, & intelligenda ſunt loca D. Thomæ adducta in ſecundo Argumento.

18. Ad tertium reſp. Quod in locis, vbi ex profeſſo D. Thomas agit de iſta quæſtione, & ſanctificatione B. Virginis, ipſam ex mente D. Thomæ non contraxiſſe peccatum originale in ipſa Animæ infuſione, quæ per Aduerſarios propriè Conceptio dicitur, teſtatur Caietanus, nàm poſtquàm dixit inter duas illas poſitiones, quod fuerit ſanctificata antè infuſionem animæ, vel poſt dari poſitionem mediam, ſcilicèt, quod fuerit ſanctificata in ipſa animę infuſione, ſubdit, *Cuius opinionis auctor non meminit, quia tempore ſuo non erat adinuenta omnibus communiter tenentibus, B. Virginem conceptam in peccato originali, & ideò, vt videtur reprobantibus, ſanctificationem carnis eius antè infuſionem animæ, vt in hac litera patet*. Vbi clarè Caietanus opinionem illam communem, aſſerentem, Virginem conceptam in peccato originali, intelligit de Conceptione, non prout dicit inſtans infuſionis animę, ſed formationem carnis antè infuſionem animæ, ergo tenet Caietanus, mentem D. Thomę non fuiſſe contrà illam mediam poſitionem, de qua eſt pręſens Controuerſia.

ARTICVLVS XVII.

An si modo viueret S. Thomas, mutaret sententiam.

1 Videtur quod non. Primò, quia de futuris contingentibus nemo nouit, nisi Deus, ergo Diuinare est, affirmare, quod si D. Thomas nūc viueret, mutaret sententiam.

2 Secundò quia. D. Thomas viuit in discipulis suis, sed hi constanter tenent affirmatiuam, & hanc sententiam non mutant, ergo.

3 Tertiò quia: Si D. Thomas mutaret sententiam, maximè quià modo Romana Ecclesia celebrat festum Immaculatæ Conceptionis, quod viuente S. Thoma non celebrabat, sed tolerabat celebrari in aliquibus Ecclesijs, sed ex hoc efficaciter non infertur, eum mutaturum sententiam, quia Ecclesia ità celebrat festum Immaculatæ Conceptionis, vt declaret se per hoc nullum præiudicium inferre affirmatiuæ, ergo benè componitur celebratio festi cum opinione affirmatiua.

4 Sed contrà est dicendum; Quod si Sanctus Thomas nùnc viueret, mutaret sententiã, si quandò eam tenuit de Maculata.

5 Probatur primò. Auctoritate B. Ludouici Beltram, qui in suis concionibus sæpè dicebat, quòd si Sancti Doctores sui Ordinis suo tempore vixissent, mutassent sententiam; ità refert Vincentius Iustinianus Antist. in Addit. ad eius vitam §. vltimo.

6 Probatur secundò quia. S. Thomas viuit in discipulis suis, sed hi mutarunt sententiam, nàm in Concilio Prouinciali celebrato Hyspali an. 1524. declararunt Patres Dominicani, non esse iam amplius curandum de sententia affirmatiua, prçsertim cùm tota ferè Ecclesia, cuius vsus, & auctoritas secundum D. Thomam 2. 2. q. 10.

 art.

art.13.& 3.p.q.68.art.10. prævalet dictis Hieronymi, & cuiuscunq; alterius Doctoris, iam afferat, quòd fuerit præseruata, ergo.

7 Probatur tertiò quia, Thomistæ concordantes D. Thomam circà quandam sententiam, quam mutauit in partibus, cuius contrariam docuerunt in libris sententiarum, dicunt, quod quâdò scripsit in libros sententiarum, erat Baccalaureus, quando vero scripsit Summam, erat Doctor, & Magister Theologiæ, ergo etiam nùnc mutaret sententiam, si viueret; imò eam mutasse de facto, probat reuelatio facta Episcopo Fantino, cui D. Thomas refertur allocutus his verbis; *Scias Domine Episcope, quod quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad Diuinum statutum, quo B.Virgo peccatum originale contrahere debebat, nisi per filium suum fuisset præseruata, sed Dei filius Matrem suam à peccato originali præseruauit*. Hæc ità esse, refert Vicarius Generalis, se pluries ab eodem Episcopo proprijs auribus audiuisse. Quod si magis fidendum est D.Thomæ, vt Magistro, quàm vt Baccalaureo, similiter magis fidendum est D.Thomæ, vt comprehensori, quàm vt viatori.

8 Probatur quartò quia. D.Thomas 2.2. q.64. art.7. cùm docuisset esse Irregularem, qui alterum occidisset cũ moderamine inculpatæ tutelæ, quia oppositum fuit declaratum in Clementina vnica de Homicidio, inquit Caietanus; Quod si ista lex fuisset tempore D.Thomæ, non scripsisset hæc; & similiter dicitur de Voto solemni Religionis, quod dixit D.Thomas indispensabile; & Ecclesia illud de facto dispensat, ergo cùm ista ratio, cùr D. Thomas negauerit Immaculatam Conceptionem, fuerit, quia Ecclesia non celebrabat festum Conceptionis, sicuti celebrabat festum Natiuitatis, si nunc viueret, videret celebrari festum Conceptionis, ergo si nunc viueret, mutaret sententiam; & sanè nunc Ecclesia Dei celebrat festum

Con-

Conceptionis in eo sensu, & terminis, quibus tolerabat tempore D. Thomæ.

9 Respondebis. Diuerso modo celebrari modo Sanctitatem Conceptionis, ac anteà celebrabatur Natiuitas; de Natiuitate enim adest traditio, at non adest traditio de Sanctitate Conceptionis in primo illo instanti, de quo adest Decretum, vt neutri parti derogetur; imò concipi in illo primo instanti cùm originali, conducit maximè ad dignitatem Matris, & prolis, decet enim, vt illa sola Mater conceperit sinè concupiscentia; & ille solus filius conceptus sit sinè peccato. Deniq; data traditione de Natiuitate, rationes à S.Thoma adductæ pro illius celebratione sunt congruentiæ, non rationes efficaces, ergo cùm de Conceptionis Sanctitate in primo illo instanti non sit traditio, neq; conuincentes rationes, non possunt mouere mentem S.Doctoris in contrarium.

10 Sed contrà est, quia Ecclesia non celebrat festum cùm illa præcautione, vt neutri parti derogetur, sed absolutè celebrat festum, quod anteà tolerabat celebrari ab alijs Ecclesijs, quæ sanè non celebrabant festum, nisi in instanti animationis, ad quod celebrandum præcepit celebrari festum non sub nomine Sanctificationis, sed Conceptionis. Discrimen autem inter Conceptionem, & Sanctificationem est, quod Sanctificatio non determinat tempus, Conceptio autem significat illud primum instans animationis, quod per Aduers. propriè Conceptio dicitur. Deindè D.Thomas ibi absolutè loquitur, nec vllam mentionem facit de traditione, ait enim Ecclesia non celebrat festum, nisi de aliquo Sancto, ergo frustrà fit recursus ad traditionem; addito præsertim, quod quando Ecclesia celebrat festum de aliquo Sáncto in particulari, non attendit ad traditionem de Sanctitate huius Sancti, de quo festum celebrat, sed supponit esse Sanctum.

11 Quod verò dicitur, concipi in peccato, non dero-

gare idoneitati Matris, gratis dicitur; nàm ficùt nasci in peccato derogat per Aduerf., ità derogat concipi, non solùm Matri, sed etiam filio, neq; enim Deo magis repugnát nasci ex Matre, quæ habuerit originale per duo, aut tria instantia, quàm repugnat nasci ex Matre, quæ habuerit peccatum per vnum instans, Deo enim peccatum est, quod repugnat, non instantia temporis, ergo si conducit ad dignitatem filij, vt statim post primum instans Mater sanctificetur, vt vltrò admittunt Aduers. ergo multò magis conducit ad dignitatem filij, vt neq; in primo instanti sit maculata.

12 *Ad* illud, quod vltimo loco dicitur; patet, D. Thomam absolutè procedere nulla facta mentione de traditione quò ad Natiuitatem; & licèt rationes adductæ sint congruentiæ, hæ suo modo probant, & conducunt ad faciendum illud mysterium euidenter credibile, nàm aliud est, mysterium esse euidenter credibile, aliud est, euidens esse, quòd ità credatur; nàm quod mysterium sit euidenter credibile, ostenditur, rationibus, miraculis, testimonijs; quod verò ità credatur, non potest euidenter ostendi rationibus, aut argumentis, aliàs tolleretur meritum fidei; quamuis ergo non possint adduci rationes de mysterijs fidei, possunt tamen adduci rationes de eorum credibilitate; & sic in proposito rationes adductæ à D. Thoma pro festo Natiuitatis ostēdunt eius sanctitatem esse credibilem, & quia militant etiam de Conceptione, reddunt Sanctitatem Conceptionis eodem modo, & forma credibilem.

13 Probatur quintò principaliter, quia D. Thomas 1.2.q. 81. art. 3. docet, *quod secundum Fidem Catholicam firmiter est tenendum, quod omnes præter solum Christum ex Adam deriuati peccatum originale ex Adam contrahunt, alioquin non omnes indigerent Redemptione, quæ est per Christum, quod est erroneum.* Tùm sic, vel D. Thomas in his verbis

gene-

generalibus includit Virginem quò ad debitum, vel quò ad contractionem; si quò ad debitum, ergo omnia verba generalia D. Thomæ possunt ritè intelligi de debito. Si quò ad contractionem, ergo tenetur retractare sentẽtiam, si viueret. quia non est secundum Fidem tenendum, imò & nec tutũ nùnc esset asserere, esse de fide, Virginem fuisse conceptam in peccato originali.

14 Probatur sextò quia. D. Thomas in Præfat. in opusc. de Concordantijs asserit se paratum ad reuocandum, quidquid in scriptis suis fuerit iuuentum veritati nõ consonum, sed hic, & nunc veritati magis est consona Negatiua, quàm Affirmatiua, ergo si viueret, ab Affirmatiua transiret ad Negatiuam.

15 Probatur septimò quia. Ex D. Thoma 3.p. q.27. Ideò B. Virgo debuit nasci Sancta, quia aliàs non esset idonea Mater Dei, & quia ignominia Matris redundat in filium, sed hæ rationes militant etiam de Conceptione, ergo.

16 Ad primum resp. verisimilibus coniecturis, & à simili de alijs sententijs, quas si viueret, mutasset D. Thomas ex Aduers. concessione; nos rationabiliter duci ad dicendum, quod si viueret, mutaret istam sententiam de maculata, & ideò id dicere, non est diuinare, sed probabiliter, & rationabiliter discurrere.

17 Ad secundum resp. Discipulos D. Thomæ, in quibus ipse viuit, quamplures fuisse pro Negatiua, vt de Ioanne à S. Thoma, Catharino, Vincentio Iustiniano, & B. Ludouico Beltram patet, qui cùm fuerint pro negatiua, nil minus, si D. Thomas viueret, esset pro negatiua.

18 Ad tertium resp. Ecclesiam non celebrare festum cùm illa præ cautione; *vt neutri sententiæ inferatur præiudicium*. sed absolutè celebrat festum Conceptionis, quod antiquitus tolerabat in aliquibus Ecclesijs.

ARTICVLVS XVIII.
An D. Bonauentura fuerit pro Negatiua.

1 Videtur quod non. Primò quia ait. *Affirmatiuam esse tutiorem, magis Piam, SS. dictis, & sacræ scripturæ conformiorem,* & hoc adeò clarè, & fusè, vt superuacaneum sit, & inutile eius longissimas auctoritates transcribere, ergo.

2 Secundò quia. D. Bon. serm. de Nat. B. V. ad illa verba; aufer rubiginem de argento, & in Specul. de B. V. serm. qui incipit, ò Domina, ait. *Rubigo ablata fuit de argento, quando B. Maria ab originali peccato sanctificata fuit in vtero.*

3 Tertiò quia. In Speculo B. V. serm. qui incipit, adhùc carissimis ait, tàm copiosissimè fuisse in vtero Sanctificatam, quod etiam ad veniale peccatum in tota vita sua non fuerit inclinata. Et ibidem serm. qui incipit. His dulcissimis verbis ait; *Ortus surgentis auroræ dicitur, quia in peccato concepta dicitur, sed sinè peccato nata; hoc est contrà illos, qui ipsam non solùm sinè peccato natam, sed etiam sinè peccato conceptam dicunt, contrà quos D. Bernardus arguens, &c.*

4 Sed contrà est dicendum. D. Bonauenturam stetisse pro negatiua. Probatur primò in serm. de Annuntiat. ait; ò quam gratiosa Domina, quæ culpa caruit, vniuersaliter intellige de peccato actuali, & de originali, & alibi dicit, quod fuit immunis à væ peccati originalis.

5 Neq; dicas. Hanc auctoritatem reddi suspectam ex eo, quia voluntariè sunt addita illa verba, vniuersaliter intellige de peccato actuali, & de originali, quia intentum D. Bonau. erat liberare Virginem à reliquijs peccati originalis; à quibus dicitur immunis ab eodem Bonauen.

6 Nàm contrà est, quia gratis dicitur, illa verba fuisse

se voluntariè addita, quod enim fuerit intentum S. Bonau. patet ex eius verbis, & quia B. Virgo æquè dicitur immunis à peccato actuali, & originali, non potest non intelligi de immunitate præseruatiua, non verò de sanctificatiua, aut mundatiua.

7 Probatur secundò ex serm. de B. Virg. quam esse D. Bonau. non est dubitandum, cum reperiatur in editione Sixti V. iussu recognita, & edita, solus enim filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa Mater eius Virgo, credendum est enim, quod nouo sanctificationis genere in eius Conceptionis primordio Spiritus Sanctus à peccato originali, non quod fuit, sed quod infuisset, redemit, atq; singulari gratia præseruauit.

8 Quod si aliquando D. Bonauentura visus est stare pro Affirmatiua, id accidit, vt obsequeretur Decreto Episcopi Parisiensis Mauritij prohibentis, nè in Academia Parisiensi defenderetur negatiua, sed postea D. Bonauenturam oppositum docuisse, patet ex locis supracitatis.

9 Demum dato, & non concesso, quod D. Bonauentura non solùm, sed etiam D. Thomas fuerint pro Affirmatiua; hors si cõtradictio nõ potest sentẽtiæ Negatiuæ obstare definitioni, nàm per Aduers. sufficit auctoritas duorum PP. quibus alij non non contradicant, ergo quando contradicunt PP. duobus non obstantibus poterit Ecclesia definire, vt in casu nostro, in quo præter latinos, habemus torrentem SS. PP. Grecorum, vndè quamuis deprimenda non sit auctoritas duorum, non est tamen tanti facienda, vt impediat definitionem veritatis assertæ ab alijs PP., præsertim quando duo non ità constanter tenuerunt vnam partem, vt alteram nunquam docuerint, & quamuis constanter tenuissent duo PP. Affirmatiuam, & multi alij cùm ipsis, adhùc non possent hanc definitionem impedire in contrarium.

10 Nàm.

10 Nàm Stephanus Papa definiuit hæreticos non esse rebaptizandos contrarium opinantibus Ecclesijs Aphricę in Concilio Prouinciali 80. Episcoporum, & S. Cypriano.

11 Benedictus XI. definiuit animas à corpore egressas antè diem Iudicij assequi *Beatitudinem* contrà D. Epiphanium, Theophilatum, & alios 12. PP. Definitum est pariter B. Virginem non contraxisse venialia non obstantibus plusquam 12. PP. inter quos Chrysostomus, Origenes, Ambrosius, & Athanasius. Definitum est, mendacium nunquàm esse licitum non obstantibus auctoritatibus D. Hieronymi, Chrysostomi, & aliorum.

12 Concilium Tridentinum recepit inter Canonicos Iudith, & Tobiæ libros contrà D. Hieronymum, Athanasium, Nazianzenum.

13 Concilium Lateranen. definiuit Angelos esse incorporeos contrà 23. PP. contrarium asserentes non minoris auctoritatis, quam D. Thomas, & Bonauentura, vt sunt Augustinus, Ambrosius, Hilarius, Basilius, alijq; huius classis.

14 Ad primum resp. D. Bonauenturam aliquando fuisse in contraria opinione, sed post modum ad negatiuam partem transisse; qua responsione satisfit etiam cæteris argumentis. Vel dicendum D. Bonau. locutum esse de Conceptione B. Mariæ Virginis ex vi legis, & naturæ, vel etiam de Conceptione sumendo Conceptionem pro fętus formatione, non verò sumendo Conceptionem propriè, idest, pro animatione.

ARTICVLVS XIX.

An ex scholasticorum Incude magnum Instrummentum conficiatur pro definibilitate sententiæ Negatiuæ.

1 Videtur quod non. Primò quia, vt docet Cano lib. 8. de locis c. 4. Theologorum scholasticorum

eorum multitudo;si alij contrà pugnent Viri Docti,quamuis pauci, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel grauior auctoritas comprobauerit, non enim numero, sed pondere hæc iudicantur,sed pro Affirmatiua stant plurimi, grauissimi, & antiquissimi Theologi, ergo. Min. probatur eorum numeratione, recensentur enim Alcuinus, Riccardus de Sancto Victore, Gilbertus Porrectanus, Sicardus, Ioan.Bellet, Robertus Mediolan. Pictauus Gulielmus, Durandus, Altisiodoren. Præpositiuus, Stephanus, Armacanus, Guerricus, Adam,Odo, Gottifredus, Henricus. Et ex Ordine Præd. à Bandello referuntur 80.Doctores.Ex Ordine Minorum 30. ex Ordine S. Augustini 16. ex Ordine Carmelitarum Guido, & Paulus de Perusio;Magister Sententiarum.Magister Historiarum B.Albertus Magnus,D.Bonau.D.Thomas, Durandus, Ocham, Ægidius Romanus, Alexander Alensis.

2 Secundò quia: Sicût lux Solis, & Lunæ præualet cæterarum Stellarum numerositati, ità etiam D.Bonau.& D. Thomas, quos luminaria magna appellat Sixtus V. obscurāt, & absorbent lucem modernorum scholasticorum, quamuis fulgeant, vt stellæ, ergo quantum est ex hoc capite ex multitudine Theologorum modernorum, nullus gradus additur Negatiuæ.

3 Tertio, quia paucissimi sunt, qui dicant, Negatiuam esse definibilem; cæteri omnes non solùm stant pro Affirmatiua, sed Negatiuam aliqua Censura inurunt, nàm Albertus Magnus non nihil hæresis aspergit, alij non nihil temeritatis, vt Aluarus Pelagius, alij non nihil erroris, vt Ioannes de Poliaco, alij communiter minus securam, minus piam, minus conformem scripturæ, & PP. insimulant.

4 Sed contrà est dicendum. Ex Doctorum multitudine magnum confici argumentum pro definibilitate negatiuæ.

5 Probatur, quia numerus DD. non tàm valet, quàm ratio ipsorum, idéòq; pauci præualent multis, si præualeat ratio, sed ratio præualet pro negatiua, vt patet ex dictis supra, & ex infrà dicendis.

6 Probatur secundò quia. Per Aduersarios non est standum numero Doctorum, quia pauci præualent multis, ergo cum multi enumerentur pro affirmatiua, non est illis standum.

7 Ad primum respondeo. Ex enumeratis Auctoribus plures non fuisse Theologos scholasticos, alios negatiuam docuisse. Ex Ordinibus Religiosorum plures Dominicani pugnant, tres Viri Sancti, totum Capitulum Prouinciale. Quinq; Magistri Generales. 12. Magistri S. P. Ex Ordine Minorum plusquam 240. ex Ordine S. Augustini plures quàm 16. & ex illis 16. duo tantùm possunt verè afferri pro affirmatiua. Ex Ordine Carmelitarum præter Cyrillum, Ioannem Hierosol. Patriarcham, & Incognitum, habemus alios omnes præter Guidonem, & Paulum de Perusio. Magistrum Sententiarum, Albertum Magnum, SS. Thomam, & Bonauenturam: Ocham, & Alensem pro negatiua stare ostendimus suprà. Durandum Aduersi. cedimus.

8 Ad secundum resp. Quod verè DD. Thomas, & Bonau. fuerunt duo luminaria magna, sed æquè luminaria magna sunt DD. Augustinus, & Hieronymus. Deindè magonrum luminarium proprietas est, pati Ecclypsim, & verè hi duo SS. aliquam passi sunt obscuritatem, dummodo in vnam, modo in alteram partem visi sunt inclinasse; & sæpè de D. Thoma dictum est, quod hanc quæstionem omisit, vt interim minores Stellæ lucerent in firmamento Ecclesiæ.

9 Ad tertium resp. Negatiuam sententiam censurari, esse contra Bullas Pontificias, ideóq; præcitatos Doctores censurantes esse explicandos, & intelligendos de Concep-

tione.

tione sumpta pro fœtus coagmentatione carne; non prò Animatione, de qua est Controuersia.

QVÆSTIO II.

De externis Adiumentis pro definibilitate proxima Negatiuæ.

EXterna quoq; Adiumenta solent adduci pro definibilitate proxima sententiæ negatiuæ peccati originalis in B. Virgine; quare secūda ista Quæstio erit diuisa in Articulos vndecim.

In primo quæritur. An ex priuatis Reuelationibus colligatur proxima definibilitas.

In secundo. An ex miraculis eadem definibilitas colligatur.

In tertio. An ex Institutione festi, quod celebratur ab Ecclesia.

In quarto. An ex concessione Indulgentiarum à Summis Pontificis.

In quinto. An ex silentio imposito Affirmatiuæ.

In sexto. An sit licitum vouere, & iurare pro defendenda Immaculata.

In septimo. An sit dignus Censura, qui diceret Affirmatiuam esse tutiorem.

In octauo. An sit dignus Censura, qui diceret Affirmatiuam esse probabiliorem.

In nono, An sit dignus Censura, qui diceret Affirmatiuam esse magis Piam; Christo, & Matri eius magis honorificam.

In decimo. An expediat hic, & nunc discuti proximam definibilitatem.

In vndecimo. An qui dicunt, Negatiuam esse proximè definibilem, Decretis Pontificijs contrauenient.

ARTICVLVS I.

An ex Priuatis Reuelationibus colligatur definibilitas Negatiua.

1 Videtur quòd nón. Primò quia. Medium,quo vtitur Ecclesia ad definiendas res fidei, est Reuelatio publica facta Ecclesiæ in scriptura, & traditione, iuxtà intelligentiam SS. PP. ideòq; ait Apostolus ad Gal. 1. *Licet nos aut Angelus de Cœlo euangelizet, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Et ex Augustino lib. de vnit. Ecclesiæ c. 17. & ex D. Thoma ad eph. c. 2. lect. 5. *Fides nostra non super reuelationes priuatas fundatur, sed super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, idest, scripturas, & traditiones*; ergo ex priuatis Reuelationibus nihil conficitur pro Negatiua.

2 Secundò quia, vt benè monet Caietanus opusc. de Concept. c. 1. Priuata Reuelatio semper habetur suspecta, nisi conformis sit scripturis, & SS. PP., ideòq; ait Riccar. de S. Vict. suspecta est mihi omnis veritas, quam non confirmat scripturarum auctoritas; qua ratione viri gigantes in doctrina, & sanctitate, ab huiusmodi reuelationibus priuatis delusi sunt, vt accidit Tertulliano, qui motus huiusmodi reuelationibus mulierculárum lib. 1. de Anima c. 9. dixit, Animam hominis corpus esse subtile, & splendido colore imbutum.

3 Tertiò quia. Si ex aliquibus reuelationibus colligeretur proxima definibilitas, maximè ex illa, quæ refertur de Elsino Abbate, sed hanc non esse authenticam, affirmant SS. Bernardus, Bonauentura, imò & Gulielmus in suo Rationali, ergo. Et licèt Reuelationes S. Brigittę fuerint approbatæ, nón propterea accipiendæ sunt tanquàm de fide, sed tanquàm Piæ, & nullum errorem continentes. Nec obstat, quod in quibusdam Breuiarijs legantur, quia

sæpè

sæpè in Breuiarijs multa continentur Apocrypha, propterea à Pio V. expuncta.

4 Sed contrà est dicendum. Ex Reuelationibus priuatis, si ab Ecclesia, & Summis Pontificibus approbatæ sint, benè potest moueri Summus Pontifex ad res fidei definiendas.

5 Probatur primò quia: Christus Dominus sanctis mulieribus suæ Resurrectionis reuelationem commisit, & fidit, ergo priuatæ Reuelationes non sunt contemnendæ in materia fidei.

6 Probatur secundò quia: Ex Reuelationibus priuatis, quas habuerunt SS. Patriarchæ Dominicus, & Franciscus de Institutione sui Ordinis, mouerunt Summi Pontificis animum ad illa Religiones approbandas; Iubilæum concessum S. Francisco à Christo Domino priuata Reuelatione approbatum fuit à Summis Pontificibus, ergo cùm dentur Reuelationes priuatæ, & ab Ecclesia approbatæ & Summis Pontificibus de Immaculata Conceptione, vt patet ex Armamēt. Seraphico fol. 387 ubi referuntur, inter quas celebris est illa Beatricis de Sylua, quæ fundauit Religionem monialium ob priuatam Reuelationem sub titulo Immaculatæ Conceptionis, ergo.

7 Ad primum resp. Hoc argumentum concludere, quando Reuelationes priuatæ scripturis, aut SS. PP. traditioni repugnant, in quo sensu loqui D. Paulum, S. Augustinum, & Thomam, non est dubitandum; secùs quando consonant scripturæ, traditioni, & SS. PP., vti sunt Reuelationes de Immaculata Conceptione.

8 Ad secundum resp. Tunc, & in eo casu priuatas Reuelationes esse suspectas, quando SS. PP. contradicunt, aut ab Ecclesia non sunt approbatæ, quales sunt Reuelationes priuatæ Hæreticorum; secùs quando approbatæ sint, & non à quibuscunq; mulieribus referantur, sed à sanctis mulieribus, vt fuit Sancta Brigitta, vel à Sanctis Viris, vt D. Anselmus.

9 Ad.

9 Ad tertium resp. Reuelationes S. Brigittæ fuisse ab Ecclesia approbatas, & licèt libenter admittam, non tantæ esse auctoritatis, vt faciant rem de fide, tamen faciunt rem de fide definibilem, & credibilem; Neq; propterea quædam Legendæ expunctæ sunt à Breuiario, quia apocryphæ, aut falsæ, sed quia vel nimis prolixæ, vel non tàm eleganti stylo compositæ; at quæ de Immaculata Conceptione in Breuiarijs Fratrum Minorum, & Ecclesiæ Granaten. habentur Summorum Pontificum concessu, cùm expunctæ non sint, non est, cùr reijci vlla ratione possint.

ARTICVLVS II.

An ex miraculis possit deduci definibilitas Negatiua.

1 Videtur quod non. Primò quia, Baronius ad an. 451. refutat Constantinum, & Nicephorum dicentes; Concilium Chalcedonense posuisse in Sepulchro S. Euphemiæ sua acta, vt redderet Sartatecta, & sua auctoritate firmata contrà hæreticos, ergo ex scripturis, traditione, & SS. PP. haurienda est definibilitas rerum fidei, non ex miraculis.

2 Secundò quia, Christus Dominus priusquàm per miraculum fractionis panis manifestaret fidem Resurrectionis suæ, vt dicitur Lucæ 24. priùs ex sacris scripturis incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis, quę de eo scripta erant, vt aduertit S. Augustinus de vnitate Ecclesiæ, c. 16. *Nè quid fallaciæ se pati arbitrarentur, eos magis testimonijs legis, & Prophetarum, & Psalmorum confirmandos esse iudicauit, ostendens, esse de se impleta,* ergo eandem praxim seruare tenetur Summus Pontifex in definiendis rebus fidei, ac proindè si hæc veritas non est definibilis ex scripturis, & traditionibus, nullo pacto redditur definibilis ex miraculis.

3 Tertiò quia, Miracula de se indifferentia sunt ad testi-

testificandum vel omnipotentiam Dei, vel mysteria fidei, vel etiam in approbationem alicuius virtutis; ideòq; D. Thomas q. 6. de *Potentia* art. 5. ad 5. ait. *Verum fuisse miraculum, quod patrauit Virgo illa Vestalis retinens aquam in Cribro in testimonium non violatæ pudicitiæ*; ergo ex quo Deus faceret miraculum ad inuocationem puræ Conceptionis, adhùc esset indifferens, an hoc faceret ad testandum mysterium puræ Conceptionis, an vt ostenderet, sibi placere piam illam affectionem, & actum Religiosum erga suam Parentem, ad quem tamen actum Religionis sufficit iudicium prudens, quod solùm nititur probabilitate practica.

4. Quartò quia. Non est facilè dignoscere, quo motiuo Deus cōcurrat ad miraculum, nàm sæpè Deus concurrit ad faciendum miraculum ex inuocatione eorum, qui communiter habentur in opinione sanctitatis, vt in Sepulchro Moysen Simonis, quē postea iussit cremari Inquisitor, & circà Matrem Luysiam, cuius opinio adhùc in ancipiti versatur apud Sacrum Tribunal, & hoc ideò fit, quia bona fide tenētes esse infallibile, quòd in Ecclesia Dei aliqui sint Sancti, inuocant aliquorum auxilia, quos piè, & probabiliter iudicant esse sanctos, quod etiam patet de tribus illis Iuuenibus, qui ad supplicium deputati, inuocarunt auxilium Sancti Nicolai adhùc viuentis, & tamen de eius sanctitate solùm habuere potuerunt probabile iudicium, nemo enim potest esse certus de sanctitate alicuius adhùc viuentis, ergo Deus ex sola probabili opinione occurrens fidelium fidei, & piæ affectioni potest facere miracula, ergo ex eo quòd Deus faciat miracula ad inuocationem puræ Conceptionis, solùm sequitur, quòd sit probabilis, non quòd sit de fide Negatiua.

5. Quintò quia. Si ex miraculis potest accingi Ecclesia ad definitionem alicuius mysterij, maximè quia ex miraculis mouetur ad Canonizationem SS., quæ est certa de.

fide

fide secundùm aliquos, sed ista ratio nulla est, quia miracula sunt ex gratia gratis data; quæ sæpè datur iniquis; tùm quia Ecclesia longa diligentia illa examinans vix ex centum vnum approbat; tùm deniq; quia Deus ad Canonizationem SS. reliquit miracula, tanquàm media regularia; At ad res fidei definiendas non miracula, sed scripturas, & traditiones reliquit.

6 Sed contrà est dicendum. Miracula valdè conducere ad definibilitatem rerum, & Articulorum fidei.

7 Probatur primò quia: Ait D. Gregorius hom. 2. in Euang. *Quia carnales adhùc discipuli nullo modo valebant capere verba mysterij; venitur ad miraculum; antè eorum oculos, cæcus lumen recipit, vt qui cælestis mysterij verba non caperent, eos ad fidem cælestia facta soli darent*, ergo miracula fiunt in contextationem, & declarationem rerum, seù articulorum Fidei.

8 Probatur secundò quia. Licèt miracula sint de se signa indifferentia, si tamen determinentur ad hanc, vel illam veritatem, eam maximè confirmant, quod probatur quattuor Rationibus adductis ab Henrico Caleaizen Theologo Dominicano orat. habita in Concilio Basiliensi contrà tertium Articulum Boemorum suadens, quòd ad probandum verè aliquem fuisse missum à Deo ad prædicandum, requiri miracula.

9 Prima est, quia Moyses prædicaturus tanquàm missus à Deo ad filios Israel prò signo ad illi credendum nihil aliud habuit, quàm virtutem miraculorum conuertendo virgam in colubrum, & est conuerso.

10 Secunda est, quia Dominus missurus discipulos ad prædicandum, non dèdit aliam causam, cùr deberent admitti, nisi quia facerent miracula; ait enim; infirmos curate, leprosos mundate, dæmonia eijcite, Math. & Lucæ 10. ergo facere miracula est causa sufficiens, quòd aliquis sit verè missus à Deo.

11 Ter-

11 Tertia est quia; Dominus vt se probaret à Deo missum, non aliam causam assignat Iudæis, nisi quia miracula faceret, ait enim; *si mihi non creditis, operibus credite; & si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, Ioan. 15. ergo facere miracula est causa sufficiens ad probandum, se verè fuisse missum à Deo ad prędicandum.

12 Quarta; illa est sufficiens, qua B. Paulus probauit se, & B. Petrum missum iuxta illud ad Gal. 2. *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes*, sed hæc fuit virtus miraculorum iuxta illud, *signa Apostolatus mei facta sunt inter vos in omni potentia, in signis, & prodigijs, & virtutibus.*

13 Ad primum resp. Benè Baronium loco cit: refutare Nicephorum, & Constantinum asserentes, PP. in Concilio Chalcedonensi posuisse sua acta in sepulchro Sanctæ Euphemiæ, vt ea redderent Sartatecta, quia id fuisset petere à Deo miracula extraordinario modo, atq; adeò Deum tentare. At ex hoc non sequitur, miracula priuato Spiritus Sancti instinctu facta non conducere ad confirmandam veritatem catholicam, nàm ibidem ait Baronius, *sæpè à sanctis viris altercationes insuperabiles cùm hæreticis obstinatissimis semel susceptas; huiusmodi miraculorum virtute fuisse extinctas, & titubantem Populum confirmatum, idq; priuato Spiritus Sancti factum instinctu, cùm tamen ad veritatem confirmandam firmiorem esse propheticum sermonem, ipsa nimirum Diuinam scripturam, Sancti Petri Apostoli testificatione habeatur expressum.*

13 Ad secundum resp. ex facto Christi potius colligi oppositum eius, quod intendunt Aduers., nàm miraculo fractionis panis confirmauit veritatem resurrectionis suæ, & explicationem scripturarum, cùm enim non fuisset agnitus à discipulis in explicatione scripturarum, dignatus est agnosci in miraculo fractionis panis; fuit ergo panis

Christi, miraculis confirmare veritatem mysteriorum fidei, & scripturarum, quas ostendit in se impletas: hinc ait D. Augustinus lib. de Vtil. c. 14. *Quid aliud agunt tanta, & tam multa miracula ipso etiam dicente, illa fieri non ob aliud, nisi vt sibi crederetur; fide ille stultos docebat, vos ratione docetis; clamabat ille, ut crederent, vos reclamatis; hinc ait Apostolus, signa data sunt infidelibus, vt qui non credunt scripturis, credant miraculis.*

14. Ad Tertium resp. Eo argumento conuelli omnia fundamenta Ecclesiæ, quia neq; scripturæ veritas, neq; SS. virtutes, neq; Ecclesiæ potestas, ex miraculis posset probari, quia semper esset incertum motiuum, quo Deus moueretur ad faciendum aliquod miraculum; & Hæretici meritò possent negare vera miracula in Ecclesia, sicùt nos obiicimus, non posse afferri vera miracula in confirmatione suorũ dogmatũ; Hinc D. Thomas ideò negat, à Dæmonibus posse fieri vera miracula, quia cùm hæc sint indicia Diuinæ Virtutis, & Veritatis, si Dæmonibus, quorũ est tota voluntas in malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, & per consequens retentio illa aquæ in cribro, in tantum est verum miraculum, in quantum factum fuit per Angelos in testimonium pudicitiæ, quæ est vera virtus; iam ergo manet, miracula vera fieri à Deo in confirmationem alicuius veræ virtutis, aut veritatis; Neq; sufficit iudiciũ prudens, & probabile alicuius sanctitatis ad hoc, vt Deus faciat vera miracula, nàm si tale iudicium esset falsum, Deus faceret miracula in confirmationem falsæ sanctitatis, quod est absurdum.

15. Dices primò, In fine mundi Discipuli Antichristi magis, quàm Christiani miracula facient, vt dicitur Math. 24. sed hæc miracula non sunt in confirmationem veritatis, ergo.

16. Resp. illa non fore vera miracula, ideòq; loco cit.

appellati ſigna, & prodigia, vndè ait Apoſtolus ad Theſſalon. 2. quod Aduentus Chriſti erit ſecundùm operationem Sathanæ in omni virtute, in ſignis, & prodigijs.

17 Dices ſecundò. Mali faciunt miracula c. 1. q. 1. Teneamus; ergo facere miracula, non eſt ſufficiens cauſa ad confirmandam veritatem.

18 Reſp. Cùm eodem Caltaizen ex D. Thoma vbi ſupra art. 2. ad 3. quod miracula ſemper ſunt teſtimonia vera eius, propter quod fiunt; cùm ergo mali alij ſint, qui malè viuunt; alij, qui malè docent; nunquam qui malè viuunt, faciunt miracula in teſtimonium eorum ſanctitatis, ſed in teſtimonium, aut Diuini nominis, quod inuocant, aut virtutis Sacramentorum, quod applicant: qui verò malè docent, non poſſunt facere miracula in confirmationem falſæ doctrinæ. Deniq; ſi quis malè viuat, & benè doceat, poteſt facere miracula in confirmationem veræ doctrinæ, quam docet.

19 Ad quartum principale reſp. Quòd quando Deus facit miracula ad Inuocationem eorum, qui habentur in opinione ſanctitatis, verè illi ſunt ſancti in conſpectu Dei, vt patet de S. Nicolao inuocato ab illis tribus Iuuenibus, quamuis certum non ſit apud fideles, quod illi ſint ſancti, ſed probabiliter credantur eſſe tales. Illa verò miracula, quæ referuntur facta ad ſepulchrum Moyſen Simonis, & Matris Luyſiæ, ideò refelluntur, quia adhùc dubia eſt, & nondùm probata eorum ſanctitas; manet ergo, quòd miracula non fiunt, niſi in confirmationem veritatis, ideſt, veræ doctrinæ, aut veræ ſanctitatis: Hinc Elias miraculo ignis de Cœlo deſcendentis probauit, ſe hominem eſſe Dei, tùm confuſit Prophetas Baal; verum Deum ſe colere, illos verò falſos adorare, oſtendit.

20 Ad quintum reſp. Ab iniquis non poſſe fieri miracula in probationem ſanctitatis, quam non habent, ideòq; miracula magna cura, & diligentia examinantur, vt ex

paucis, quæ approbat, ducatur in notitiam veræ sanctitatis, & tàm longè abest, vt ad res Fidei confirmandas miracula non conducant, vt potiùs nulla opera virtutis sufficiant sinè miraculis, tùm quia illa opera, vt ait Caltaizen, sæpè sunt apparentia extrinsecùs, & non existentia intrinsecùs, vt de Hypocritis dixit Dominus Math. 23. tùm quia Christus Dominus licèt maxima esset præditus sanctitate, ad probandum se fuisse à Deo missum, miracula adhibuit; Pariter Apostoli quàmuis sanctissimi suam missionem per miracula probarunt; Et quidem haud verè dicitur, miracula non fuisse regularem modum probandi res Fidei, nàm Ecclesia ex D. Greg. nutrita est miraculis, modo miracula parua fiunt, cùm iam Ecclesia creuerit. Hinç ait Beda, quod Christus Dominus concessa priùs potestate signorũ, misit discipulos prædicare verbum Dei, vt promissorum magnitudini attestaretur magnitudo factorum, fidemq; verbis daret virtus ostensa, & noua facerent, qui noua prædicarent. Idem docet S. Thomas q. 178. art. 1. ad 5. Cùm ergo 70. miracula referantur à Deo facta in fauorem Immaculatæ Conceptionis Marianæ, & plurima ex illis iàm sint ab Ecclesia approbata, redditur illa omninò definibilis ex miraculis.

ARTICVLVS III.

An ex Institutione Festi colligatur proxima definibilitas Negatiua.

1 VIdetur quod non. Primò quia: Si ex institutione festi colligeretur Sanctitas Immaculatæ Cõceptionis, atq; adeò definibilitas Negatiuæ, maximè quia D. Thomas, & S. Ildephonsus ex institutione festi Natiuitatis colligebant Natiuitatem fore Sanctam; at longè est diuersa ratio Natiuitatis, & Conceptionis, quia cùm de sanctitate Natiuitatis esset traditio in Ecclesia, & Sanctitas

erat indubitata; at non ita est sanctitas Conceptionis, de qua Pontifices statuerunt festum cùm ista præcautione, nè inferatur præiudicium affirmatiuæ, & ideò sanctitas Immaculatæ Conceptionis remanet solùm probabilis, & per consequens dubia.

2 Secundò quia: Hoc festum est Gratiarum actionis, vt patet ex Bulla Sixti IV. instituentis festum, vt in lege antiqua erat festum Paschatis, Neomeniæ, sed huiusmodi festum benè saluatur per hoc, quòd illa Conceptio fuerit Mira, quia ex Anna Sterili, ideòq; etiam de Conceptione Sancti Ioannis Baptistæ fuit institutum festum; & Landulphus 1.p Vitæ Iesu Christi, ait de Generatione SS. esse lætandum, quia cedit in salutem plurimorum, ergo ex celebratione festi Conceptionis, non benè infertur sanctitas eiusdem.

3 Tertiò quia. Sicùt Scotus distinguendo in vno Instanti Metaphysico Conceptionis tria signa rationis; vnum, in quo habuit peccatum. Secundum, in quo fuit expulsum. Tertium, in quo fuit Sancta, adhùc saluat festum Conceptionis, quod eo tempore celebratur in pluribus Ecclesijs, ità quia sententia Affirmatiua dicit, quod primum instans morale Conceptionis includere duo instantia Metaphysica, & tempus inter medium fuerit permanentia. Tertium instans fuerit sanctificationis, & Puritatis, sequitur, quod etiam si tolleretur primum instans sub nomine puræ Conceptionis, adhùc saluaretur veritas sententiæ Affirmatiuæ, discurrendo de signis moralibus in primo instanti morali, sicùt discurrit Scotus de signis rationis in primo instanti Metaphysico, maximè cùm Cultus festiuus, quia moralis, regulatur per instans non Metaphysicum, sed morale rei, quæ cultu honoratur.

4 Quartò quia: Octaua die Decemb. fuit solùm commixtio seminum, non Conceptio B. Virginis, quæ consistit in infusione Animæ, & productione subsistentis perso-

naæ,

næ, quæ fit post 80. dies in Conceptione fœminarum, ac proindè si celebraretur festum eo die, quo fuit in re Concepta B. Maria computando vsq; ad diem octauam Septembris, quo fuit nata, deberet fieri in vltimo Februarij, vel principio Martij, ergo quādo Ecclesia celebrat festum die 8. Decembris, vel celebrat seminum comixtionem, quod est impossibile, vel solum agit festum in gratiarum actionem, quia iam accedebat tempus, quo veniret Mariā in mundum; vel quod facilius est, morali modo hoc agit celebrando in illo die totum tempus, quod includit tempus animationis, & sanctitatis B. Mariæ.

5 Quintò quia. Ecclesia non celebrat festum sub titulo Immaculatæ Conceptionis, sed sub titulo Immaculatæ Virginis, vt patet ex Bulla Sixti IV. innouata ab Innocentio X. ergo Ecclesia intendit celebrare festum de sanctitate certa B. Virginis, quam habuit, vt moraliter dici potest, in primo illo instanti Conceptionis abstrahendo ab ambigua subtilitate Metaphysica primi instantis metaphysici, quam doctrinam adhibent Bellarm. t. 2. lib. 3. c. 16. & Suarez respondens hæreticis dicentibus, Ecclesiam errare, instituendo festum Conceptionis, cuius sanctitas erat dubia.

6 Sextò quia. Ecclesia non celebrat primum instans Conceptionis, sed diem, vt dicitur in Introitu. *Diem festum celebrantes*: ergo cùm sententia Affirmatiua non neget diem Conceptionis fuisse sanctum, nil habet contrà se in institutione festi; Deindè vt saluetur institutio festi, sufficit sanctitas personæ, quidquid sit de alijs circumstātijs, ità fatetur August. serm. 27. de tempore; vbi loquens de festo Epiphaniæ, de quo licèt dubium sit, an eo die fuerit Dominus à magis adoratus, an aquam in vina mutauerit, an deniq; fuerit Baptizatus, vna tamen sanctæ deuotionis est fides, in omnibus est vera festiuitas, quia in omnibus filius Dei creditur.

7 Præ-

7 Præterea ficùt Ecclesia instituit festum SS. Canonizatorum, quia sunt cùm Deo regnantes, & ideò celebrant diem mortis, & transitus eorum, quia putat probabiliter eo die, cùm Christo regnasse, quamuis plures sancti non regnauerint cùm Christo in die ipso obitus, vt dicitur de S. Paschasio, & certum est de S. Ioanne Baptista, de SS. Innocentibus; de SS. Ioachim, Anna, & Ioseph detentis in limbo, quia sufficit, quòd quãdo exhibetur cultus sint cum Christo regnantes, ità potest institui festum Cõceptionis, quamuis sit probabilitas de eius sanctitate, dummodò cõstet de Persona, quæ immediatè saltem post fuit sancta.

8. Præterea Paludanus docet, quòd Cathedra S. Petri colitur in gratiarũ actionem ob beneficium collatum Ecclesiæ, etiamsi non constet, an tunc Petrus haberet aliquod peccatum veniale, ergo similiter in casu nostro. Deniq; non eadem est ratio de Canonizatione SS., nàm si eorum sanctitas non esset certa, Ecclesia exponeret se periculo errandi colendo hominem damnatum; & in casu nostro certum est, quòd persona, quæ colitur, sancta fuit saltem in primo instanti morali, ergo.

9. Sed contrà est dicendum. Ex institutione festi efficaciter colligi Conceptionem Marianam fuisse sanctam, & per consequens proximam definibilitatem negatiuæ.

10. Probatur primò quia: SS. Thomas, & Ildephonsus ex sola institutione festi nullam faciendo mentionem de Traditione, probarunt, Natiuitatem fuisse sanctam, ergo ex sola institutione festi Conceptionis efficaciter infertur sanctitas eiusdem.

11. Probatur secundò quia: Sixtus IV. in Bulla de festo Conceptionis licèt moneat fideles ad referendas gratias de Conceptione mira B. Virginis, non tamen vocat miram Conceptionem ex eo, quod fuerit ex sterili, sed quia fuit in gratia, vt patet ex alijs verbis; *Eam sui vnigeniti habitaculum Sancti Spiritus præparatione constituit*; quę verba.

ta de Cōceptione intelligi,patet ex contextu;habet enim; *statuimus,& ordinamus,quod omnes,& singuli Christi fideles vtriusq; sexus, qui missam, & officium Conceptionis eiusdem Virginis gloriosæ iuxtà piam, deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti filij Magistri Leonardi de Nogarolis,&c. deuotè celebrauerint,& dixerint;aut illis horis canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus Indulgentiam, &c.* ergo ex festo optimè deducitur sanctitas Immaculatæ Cōceptionis.

12 Probatur tertiò quia Conceptio S.Ioannis Baptistæ, quia sancta non fuit, iam non celebratur ab Ecclesia, ergo quia Ecclesia celebrat Conceptionem B.Virginis,est sancta. Nàm diem illum,vel horam Conceptionis non fore ab Ecclesia celebrandam, si non esset sancta, est expressa mens S. Augustini serm. in die Natalis S. Cypriani. *Quid est hoc Fratres, quandò natus, ignoramus, & quia hodie passus est, Natalem eius hodie celebramus, sed illum diem non celebraremus, & si nossemus, illo enim die traxit originale peccatum*, ergo ex D.Augustino dies Conceptionis in peccato non est celebrandus,sed Ecclesia celebrat diem Conceptionis B. Virginis, ergo B. Virgo non est concepta in peccato originali.

13 Probatur quintò quia Communis Theologorum sententia est;deberi adorationem latriæ illis instrumentis, vel rebus, quæ tetigerunt corpus Christi Domini ratione contactus, excipitur tamen ab hac generali doctrina B. V.Maria, licèt toties Verbum Dei contrectauerit, & 9. menses intrà viscera portauerit;Ratio discriminis est,quia in rebus inanimatis, vti sunt claui, Crux &c. non est periculum, quod deferatur cultus alteri,quàm Deo, sunt enim incapaces per se adorationis; In Virgine autem adest periculum, vt deferatur Creaturæ adorationis capaci adoratio debita Deo, ideòq; prohibetur adoratio latriæ circà Virginem; ità similiter in festiuitatibus veteris legis solùm

cole-

colebatur Dei virtus, quæ relucebat in miraculis, & nullum erat periculum, vt nihil non sanctum coleretur: at verò in Conceptione B. Virginis, si non esset sancta, esset periculum, quod in Ecclesia coleretur aliquid non sanctum; licèt festum institueretur sub titulo gratiarum actionis, sicuti esset periculum latriæ, licèt coleretur Virgo sub titulo contactus, vndè prohibendum omninò esset festum Conceptionis ad vitandum tale periculum, sicùt prohibetur adoratio latriæ, ergo in lege gratiæ nihil non sanctum colitur, & festiuatur, ergo ex festo Conceptionis efficax deducitur argumentum sanctitatis eiusdem.

14 Ad primum: patet resp. ex dictis in corpore Articuli; solùm addo, quòd illa obtestatio Pontificum intelligenda est, vt non inferatur præiudicium Affirmatiuæ, præterquàm quò ad supradicta; sicùt etiam non inferebatur præiudicium sententiæ neganti infusionem habituum, dùm definita fuit maior probabilitas contrariæ sententiæ; nec cogebat talis definitio ad negandum probabilitatem illius, sed ad non afferendam tùnc æqualem probabilitatem cùm sententia Affirmatiua, ex quo solùm sequitur, quòd ex vi Concilij Viennensis solùm erat proximè definibilis sententia affirmans infusionem habituum, saltem Theologicorum, ergo illa obtestatio Summorum Pontificum, quod non inferatur præiudicium affirmatiuæ, non obstat, quo minus ex institutione festi Immaculatæ Conceptionis non colligatur sanctitas eiusdem, & eius proxima definibilitas.

15 Ad tertium resp. Non posse Aduers. ità discurrere de instantibus moralibus, sicùt discurrit Scotus de signis rationis in instanti metaphisico, nàm ex illo Discursu Scoti, non sequitur, quod in aliquo instanti reali fuerit B. Virgo in sui Conceptione cùm peccato originali, quia vel in ipsa Thomistarum sententia, aliquid est secundum nostrum modum concipiendi; quod in rei veritate non

est. At secundum modum, discurrendi Aduersariorum de instantibus moralibus, sequitur, quod in aliquo instanti reali Conceptionis B. Virginis, Ecclesia celebraret aliquid non sanctum, quia primum instans morale, in quo Conceptio B. Virginis, non esset sancta, ingrederetur illud instans physicum Conceptionis B. Virginis, ergo iam Ecclesia celebraret aliquid non sanctum, Ecclesia enim non celebrat Conceptionem spiritualem B. Virginis, sed veram, physicam, & realem, quæ cùm peragatur per Aduers. in tribus instantibus moralibus, & in primo B. Virgo sit in peccato, & non sancta, Ecclesia celebraret aliquid non sanctum.

16 Ad quartum resp. In primis valdè probabile esse, neq; quò ad fœminas peragi Conceptionem carnis, seù commixtionem seminum spatio 80. dierum, nàm secundum quod maior, vel minor fuerit virtus relicta à semine, illa peragitur citius, vel tardius; & dato, quod spatio 80. dierum peragatur, quia nescitur, qua die anima infundatur, anticipatè Ecclesia celebrat illud instans, in quo est seminum commixtio; nec est nouum in festiuitatibus Ecclesiæ; aliquando illas anticipari, aliquando postponi, vt patet de festo Paschæ, quod aliquando anticipat, aliquandò postponit, & Sabbato sancto semper talem festum anticipat. Dies etiam Sancti Dominici celebratur die 4. Augusti, & deberet celebrari die sexta, vel quinta, quia obijt die sexta, & quinta adscriptus est numero sanctorum, sed quia die sexta celebratur festum transfigurationis, & die quinta festum S. Mariæ ad Niues, ideò ex Decreto Pauli IV. celebratur festum Sancti Dominici die 4. Augusti: Similiter festum Sancti Stephani, Transfigurationis Domini, Visitationis B. Mariæ Virginis, & alia huiusmodi; non enim attendendum est, quo die Ecclesia aliquod festum colat, sed quid colat; & in hac festiuitate declaratum est, celebrari festiuitatem infusionis animæ pro illo instanti, in

quo

quo fuit verum dicere, Maria est Concepta.

17. Ad quintum resp. Non extare tale Decretum Innocentij X. de celebratione festi Conceptionis Virginis Immaculatæ; & certum est, Bellarminum, & Suarez tenere, quòd Ecclesia celebrat primum instans infusionis animæ. Et Hæreticis dicentibus, Ecclesiam errare celebrando hoc festum, respondet Bellarminus, Ecclesiam non errare, quia maior pars Ecclesiæ piè credit Immaculatam Conceptionem.

18 Ad sextum resp. Quodlibet instans per Synecdochem, diem appellari, neq; enim Ecclesia debebat dicere instans celebrantes; & quod sit ità intelligendum, ex eo colligitur, quia vel Ecclesia per diem intelligit omnia instantia componentia diem, & sic celebrat aliquod instans non sanctum, seu in quo B. Virgo non erat sancta; vel intelligit solum instans, in quo fuit sanctificata, & sic iam sumit partem pro toto. Ad instantiam de festo Epiphaniæ, disparitas est, quia dubietas ibi est tantùm de circumstantijs, seu quodnam miraculum eo die contigerit, non verò de sanctitate, quæ celebratur, quæ est sanctitas Christi; at in casu nostro est dubietas de sanctitate, quæ celebratur; nam si vera non est opinio asserens, B. Virginem fuisse sanctam in primo instanti Conceptionis, celebraretur aliquid non sanctum; imò ex hac instantia magis confirmatur id, quod supra dicebamus, Ecclesiam attendere, quod sanctum sit id, quod colit, non verò attendere ad diem, vel tempus, quo illud colit, ità vt id, quod vt sanctum colit, debeat contigisse eo die, quo colit, nam in die Epiphaniæ tribus miraculis ornatum diem sanctum colit, & tamen verisimilius est, non eodem die illa tria miracula contigisse.

19 Ad instantiam de festo SS. Canonizatorum dico; quod ad celebrationem festi sufficeret, quòd persona, cuius sanctitas celebratur, immediatè post esset sancta,

posset celebrari Natiuitas B. Virginis; quamuis non fuisset sancta, dummodò immediatè post fuisset sancta, imò & Natiuitas cuiusq; Sancti posset eodem modo celebrari; quod est absurdum. Ecclesia igitur celebrans festa SS. Canonizatorum, non respicit ad hoc, quòd sint cùm Christo regnantes, sed quod sint sancti, & ideò celebrat diem obitus, seù vltimum instans illius diei, quia pro certo supponit, & credit in illo vltimo instanti fore sanctos, & obire in gratia, quidquid sit deindè, an in eodem instanti cùm Christo regnent, aut paulo post; vndè si non esset certa de illorum sanctitate in illo vltimo instanti, non celebraret, non coleret diem obitus eorum, quamuis in antecedentibus instantibus esset certa de eorum sanctitate, ità non coleret diem Conceptionis sub nomine Conceptionis, si in illo primo instanti non fuisset sancta, quamuis in antecedentibus instantibus fuisset sancta.

20 Ex his patet responsio ad doctrinam Paludani, quia quo die colit Cathedram Sancti Petri, supponit tanquam certum, Petrum non fuisse in peccato mortali, nàm esse in peccato veniali, non opponitur sanctitati; patet ergo, quod Ecclesia non colit, nisi illi constet de sanctitate eius, quod colit, aliàs se exponeret periculò colendi hominem damnatum; cùm ergo colat Conceptionem, constat illi, quod sit sancta; & quidem non est satis, quòd persona sit sancta, quandò colitur, vt possit Ecclesia colere eius Conceptionem, aut Natiuitatem, quia hac ratione posset coli Conceptio, & Natiuitas cuiuscunq;, qui in aliquo instanti sit sanctus.

ARTICVLVS IV.

An ex concessione Indulgentiarum efficaciter colligatur definibilitas negatiua.

1 Videtur quod non. Primò quia: Ad concessionem Indulgentiarum sufficit causa probabilis

lis moraliter, vt docet Diana p. 5. c. 1 2. resol. 10. vel sufficit; quòd sit Pia saltem virtualiter, & quod ex genere suo ordinetur ad honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ, aut bonum commune, aut etiam sufficere, quod aliquis in particulari notabiliter proficiat ex tali concessione.

2 Secundò quia: sufficit, quod ad instantiam alicuius Principis Indulgentia concedatur, quia ergo Indulgentiæ in fauorem Conceptionis concessæ sunt ad instantiā Principum, & Religionum, & plures deuoti proficiunt ex earum concessione, indè non redditur definibilis sententia negatiua.

3 Tertio quia: Multæ Indulgentiæ concessæ sunt Messanensibus ex causa epistolæ B. Virgini Mariæ adscriptæ, ergo ex concessione Indulgentiarum non colligitur aliqua sanctitas in eo, propter quod Indulgentiæ conceduntur.

4 Sed contrà est dicendum. Ex concessione Indulgentiarum efficaciter colligi definibilitatem proximam negatiuæ.

5 Probatur primò. Quia tempore Pauli V. Aduersarij censuerunt prohibenda numismata sculpta cùm Virginis Imagine, & epigraphe, *sine peccato originali*. Non alia ratione, nisi quia Indulgentiæ à Sanctissimo absolutè concessę illis, applicari possent, & sic articulus Præseruationis definitus euaderet; plus ergo concedunt nobis Aduers. quàm velimus, nàm ipsi ex Indulgentiarum concessione timent definitionem, nos volumus solam definibilitatem.

6 Probatur secundò quia. Aliud est assignare causam, quæ requiritur ad concedendas Indulgentias à Summo Pontifice, & aliud est inquirere, cui applicandæ, vel concedendæ sint Indulgentiæ; licèt ergo ad concedendas Indulgentias sufficiat Summo Pontifici causa probabilis, Instantia Principum, aut Religionum, profectusq; fideliũ; tamen nunquam conceduntur Indulgentiæ rei non sacræ, aut non benedictæ, ideòq; Summus Pontifex non concessit

sit Indulgentias asserentibus Affirmatiuam ; neq; concedet, ergo ex concessione Indulgentiarum benè deducitur, Conceptionem B. Mariæ Virginis, cui conceduntur esse rem sanctam, & benedictam, atq; adeò negatiuam opinionem peccati originalis in B. Virgine esse definibilem.

7 Dices. Indulgentiæ non conceduntur sententiæ, aut opinioni, sed pietati, ergo ex Indulgentiarum concessione non colligitur definibilitas opinionis.

8 Respondeo Pietatem non distingui ab opinione pia obiectiuè, idem enim est vtriusq; obiectũ. Pietas enim consistit in colenda Conceptione, quam tanquàm sanctam defendit pia opinio. Deindè si Indulgentiæ conceduntur pietati, cùm pietas sit virtus, benè indè deducitur, Indulgentias concedi virtuti, & sanctitati; addito præsertim, quod Indulgentiæ conceduntur recitantibus orationem illam, & Antiphonam, in qua asseritur Conceptio Immaculata, ergo conceduntur Conceptioni.

9 Ad primum respondeo. Quod Diana non asserit, sufficere causam probabiliter Piam ad concedendas Indulgentias, sed potius supponere cùm alijs, esse necessariam causam piam; esto doceat, esse probabile, non requiri, quòd causa sit proportionata, id est, quòd ad concedendas magnas Indulgentias requiratur magna causa, sed quamlibet causam sufficere, dũmodò sit Pia, quod probat ex S. Thoma in supplemento q. 25, art. 3.

10 Ad secundum resp. Aliud est Indulgentias esse cõcessas ad instantiam Principum, & Religionum, aliud est, concessas esse rei non sanctæ, aut non benedictæ, constat enim Indulgentias concedi rei sanctæ, & benedictæ.

11 Ad tertium resp. Indulgentias non esse concessas illi epistolæ, talas non esse inter Apocryphas scripturas reijciendã, neq; esse concessas gestantibus illã epistolam, sed visitantibus Cappellam eiusdem Virginis de Litterio, nuncupatam; & quidem non titulum de Litterio, sed Cappellam

lam Virginis colunt, licet ergo causa concedendi Indulgentiam illam fuerit titulus epistolæ, Indulgentia tamen non est concessa epistolæ.

ARTICVLVS V.

An ex Silentio imposito Affirmatiuæ colligatur definibilitas Negatiuæ.

1. Videtur quod non. Primò quia: Sicuti Affirmatiuæ impositum est silentium, ità Negatiua habet suos terminos, & cancellos, cautum est enim, nè assertores negatiuæ publicè contrariam impugnent, aut de illa aliquo modo agant, vel tractent, ergo ex silentio imposito affirmatiuæ, non crescit proxima definibilitas negatiuæ.

2. *Secundò* quia: Causa impulsiua ad imponendum silentium affirmatiuæ, nisi intrà Claustra Fratrum Prædicatorum, fuit ad vitanda scandala, & rixas; & ideò non indicat eius minorem probabilitatem; imò Summus Pontifex declarat, non esse suę intentionis inferre aliquod, præiudicium affirmatiuæ, sed illam relinquere in suo statu & terminis, quos habebat anteà.

3 Tertiò quia. Decretum de silentio emanauit in fauorem F. Prędicatorũ, ablatæ sunt n. occasiones iniuriarum, & opprobriorum, maximè cùm aliquando contingat, vt homo dicat verum, & quod dicit, non capiatur; atq; illi, qui audiunt, scandalizentur, & discedant; vndè ait S. Augustinus lib. de Dono Perseuerantiæ c. 16. *Vtile est tacere, quod verum est, propter incapaces, & hæc vna causa, nè peiores faciamus eos, qui non intelligunt.*

4. Quartò quia. Quandoq; ob iustam causam prohibetur prædicatio veritatis Catholicæ hæc autem iusta causa est multiplex. Prima, quando ex tali prædicatione sequeretur scandalũ passiuum; ità Christus Dominus Math.

16. post confessionem Petri, prohibuit prædicari ipsum esse Deum, nè sequeretur scandalum Crucis in eos, qui audierant, ipsum esse Deum. Matth. 8. prohibuit leproso, nè publicaret miraculum. Math. 17. prohibuit manifestari Transfigurationem. Secunda, si non sequatur fructus debitus, si alicubi prædicatur, ideóq; prædicatio restringitur ad certam gentem, & ad certum locum, ideòq, dicitur Math. 10. *In viâ gentium nè abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum, nè intraueritis.* Tertia, si sequatur contemptus in Populo, ideóq; Timotheus, & Paulus prohibiti sunt à Spiritu Sancto prædicare in Asia, & Bithinia, ergo ex eo, quia prohibita est prædicatio affirmatiuæ, non derogatur eius probabilitati.

5 Quintò quia. De rebus fidei prohibita est Disputatio publica etiam Laicis doctis, vt habetur de Hæreticis, quicunq; c. inhibemus; imò etiam Clericis coram Laicis, vt habetur c. de Summa Trinitate l. nemo: ergo quia prohibita est disputatio publica de affirmatiua, non infertur illi aliquod præiudicium.

6 Sextò quia: Etiam de Deo verá dicere, & externè loqui, periculosum est, ait Ruffinus in expositione Symboli, & habetur inter opera Cypriani, & Hieronymi c. 4. & magnus Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierarchia prohibet, nè Timotheus publica faciat Vulgo sua pręcepta, ideò etiã prohibitum est Hæbreis, nè antè annum 30. ætatis legerent librum Canticorum, librum Genesis, & Ezecchielis, ergo quia Assertoribus affirmatiuæ prohibitum est loqui, non benè infertur, quod affirmatiua vera non sit, & proximè definibilis negatiua, vndè F. Prædicatores possunt dicere cùm Augustino c. 16. de Dono Perseu. *Nec nos volumus dicere, quod teste scriptura dicere possumus, timemus enim, nè loquentibus nobis offendatur, qui veritatem capere non potest.*

7 Septimò quià. Stante Controuersia de duplici volun-

luntate Christi Domini, asserentibus Catholicis duas esse in Christo Domino voluntates contrà Monothelitas, Honorius vtriq; parti silentium indixit ad sedandos animos, & remouenda scandala, & tamen quis dicat, ex eo silentio illatum esse præiudicium veritati Catholicæ de duplici voluntate?

8 Sed contrà est dicendum. Ex silentio imposito affirmatiuæ, benè, & efficaciter colligi proximam definibilitatem negatiuæ.

9 Probatur primò quia. Cùm silentio compressa sit affirmatiua, nullos terminos, aut cancellos habet negatiua, eius enim Assertoribus solum est prohibitum, affirmatiuam aliqua Censura notare, aut damnare, antequam ab Ecclesia damnetur; ergo ex silentio imposito crescit proxima definibilitas negatiuæ.

10 Probatur secundò quia: Certum est impositum esse silentium affirmatiuæ ad vitanda scandala, & rixas, quibus occasionem dabat sententia affirmatiua, vt patet ex Bullis Pauli V. & Gregorij XV. quæ scandala non solùm patiebatur plebs tumultuaria, & popularis ignorantia, sed etiam viri timoratæ conscientiæ, Religionis, Pietatis, & auctoritatis, quorum aures offendebat, prædicari de Virgine Maria, quòd fuisset concepta in peccato originali, ac proindè sentiebat, affirmatiuam non esse æqualis probabilitatis cùm negatiua, quòd cùm ad aures Summi Pontificis venisset, prædictum silentium imposuit, ergo ex silentio imposito crescit probabilitas negatiuæ suprà contrariam.

11 Ad primum patet responsio ex dictis, nullos esse terminos, aut cancellos negatiuæ, sed solam esse prohibitam Censuram.

12 Ad secundum respondeo: Silentium affirmatiuæ fuisse absolutè impositum, & non cùm illa exceptione, nisi intrà claustra F. Prædicatorum tantùm; esto quod deindè

dè ad multiplicatas instantias F. Prædicatorum, dispensatum fuerit silentium intrà eorum claustra tantùm, sed dispensatio supponit prohibitionem. Cæterùm scandala, ad quæ vitanda silentium impositum est, oriebantur ex sententia affirmatiua, non ex negatiua; vt patet ex verbis Bullæ Pauli V. *Ex occasione sententiæ affirmatiuæ in publicis Concionibus oriuntur scandala, iurgia, & dissensiones*, & idem repetitur in Bulla Gregorij XV.

13 Ad tertium resp. Silentium non fuisse impositum in fauorem F. Prædicatorum, sed in fauorem B. Virginis, vt patet ex epist. Gregorij XV. ad Ciues Hyspalenses, *Eo decreto Apostolico Altercationum Theologorum dissidia tollere, & cælestis Reginæ dignitati consulere voluimus*: Deindè per Aduers. non est in fauorem negatiuæ prohibere suis Assertoribus, nè damnent negatiuam, ergo neq; est in fauorem affirmatiuæ, & eius Assertorum, nè de affirmatiua loquãtur. Cæterum sinè fundamento dicitur, ideò esse silendum, quia quod docet affirmatiua, difficilè capitur; nàm longè faciliùs intelligitur, B. Virginem esse conceptam in originali, vt alij homines, quàm fuisse ab illo immunem; & ideò non habet locum hic dictum Augustini, *vtile est tacere verum propter incapaces*. Prætereà falsò additur ex Augustino, *& hæc vna causa est, nè peiores faciamus eos, qui non intelligunt*, quasi non sit alia causa tacendi, cùm Augustinus ibi dicat, *Causas verùm tacendi, longum est, omnes quærere, vel inserere, quorum tamen hæc vna est &c.*

14 Ad quartum resp. Causam impulsiuam imponendi silentium non fuisse scandalum passiuum pusillorum, sed scandalum sacrorum ordinum, & hominum doctissimorum; Verùm prohibita est Transfigurationis manifestatio, non ob rationem assignatam in argumento præcisè, sed quia nondùm erat hora eam manifestandi, & ideò prohibuit Dominus de ea loqui, & idem est dicendum de alijs veritatibus, de quibus loquitur argumentum.

15 Ad

15 Ad quintum resp. Prohibitam esse publicam disputationem Laicis de mysterij fidei, quia sunt abstrusa, & recondita; at non est talis sententia affirmatiua, quæ faciliùs capitur, quàm negatiua.

16 Ad sextum resp. Simili modo Ruffinum, & Dionysium esse intelligẽdos de mysterijs abstrusis, & reconditis: liber autem Canticorum prohibitus est legi antè annos 30. in tutelam castitatis, *nè sub carnalibus verbis spiritualium nuptiarum, epithalamium non intelligens vulneretur*, vt ait D.Hier. epist. ad Lętam. Nec F. Prædicatores possũt illud Augustini vsurpare, primò quia non est, quod ipsi loqui nolint, edicere verum, sed quia non possunt stante prohibitione Pontificia; nec Rudes offenduntur, quia non capiunt affirmatiuam, sed quia scandalizantur audire, Dei Matrem fore peccatricem, & Diabolo subditam.

17 Ad septimũ de Honorio dico, Pontificem nõ imposuisse silentium vtriq; illi opinioni, sed q; busdam vocibus, quibus Hæretici abutebãtur ad significãdas in Christo, nõ vnã, sed duas volũtates; Catholici verò illis vocibus vtebãtur ad significandas in Christo duas voluntates tantùm, & ideò vtrisq; Honorius prohibuit illis vti vocibus ad declinãdam Hæreticorum fraudem. Patet ex Baronio ad an.cit. Prætereà est disparitas, quia Honorius vtriq; parti imposuit silentium; at in casu nostro silentium est impositum solum affirmatiuæ; vndè sicùt Honorius posteà definiuit pro Catholicis, ità sperandum est, definiendum esse pro negatiua.

ARTICVLVS. VI.

An ex alijs Capitibus habeatur esse posita vltima dispositio ad definiendam negatiuam.

1 Videtur quod non. Primò quia. Modo nulla suppetunt, nec occurrunt adiumenta, quæ

tempore Gregorij XV. non fuerint propalata, sed Greg. XV. in epist. quam scribit ad Margaritam Austriæ dicit, *hoc arcanum à Spiritu Sancto nondùm esse patefactum*: ergo non est posita vltima dispositio, aliàs Pontifex esset moraliter certus huius veritatis, sicuti posita vltima dispositione ad introducendam formam, qui scit, illam esse positam, scit determinatè hanc formam esse educendam, & non oppositam.

2 Secundò quia: Si esset posita vltima dispositio ex alijs capitibus, maximè, quia negatiua iam videtur esse definita à PP. Concilij Basiliensis legitimè congregati, qui sinè dubio habent votum decisiuum ad determinandas res fidei, repræsentant enim Ecclesiam, & errare non possunt, maximè quia secuti sunt secretam Instructionem datam à Summo Pontifice legatis, huiusmodi articulum definiendi, vt fatetur Gabriel in 3. d. 3.; & solùm deest confirmatio Summi Pontificis, quæ est approbatiua, vel declaratiua, vel intimatiua illarum veritatum respectu Ecclesiæ, sed PP. Concilij non habent votum decisiuum, sed consultiuum, vt ostendit Bellarminus lib. de Conciliorum auctoritate c. 9. Neq; Summus Pontifex tenetur sequi maiorem partem Concilij, nàm sæpè maior pars vincit meliorem, nàm omnes Patres in Concilio Ephesino coniurauerant in doctrinam Dioscori, vt patet ex S. Leone Papa epist. 12. & 13. In Concilio Constantinopolitano 300. PP. & in Ariminensi 600. Episcopi consensere in hæresim Arianam, ergo PP. in Concilio, nisi vniti sint cùm suo Capite, & Summo Pontifice, neq; repræsentant Ecclesiam, neq; non possunt errare, vndè sicùt PP. Concilij Basiliensis errarunt deponendo Eugenium IV. ità errare potuerunt, definiendo negatiuam; imò in odium huius præcipitatæ definitionis, oppositum decretum edidit Concilium Florentinum his verbis. *Profitetur, & docet S. R E. neminem vnquam ex viro, fœminaq; conceptum à diaboli dominatu fuis-*

tu fuisse liberatum, nisi per fidem Iesu Christi, qui sine peccato natus, conceptus, & mortuus solus sua morte prostrauit &c.

3 Tertiò quia: Si esset posita vltima dispositio, maximè quia modo maior pars Cardinalium, Episcoporum, & Præpositorum sacrorum ordinum, imò & Doctorum Vniuersitatum stant pro negatiua, eamq; suis nominibus subscripserunt, mittentes vota ad Romanum Pontificem, sed PP. extrà Concilium non habent votum decisiuum, & qui subscripsere, potuerunt errare, ergo nondùm est posita vltima dispositio, cùm nondùm sit assignatus expressus locus scripturæ, vel traditio; & nondùm auditæ sint partes coram Summo Pontifice; imò cùm nondùm sit certum, an hæc materia spectet ad fidē, & sit ex definibilibus, & sanè si hi, qui subscripsere, congregarentur in Concilio, mutarent sententiam.

4 Sed contrà est dicendum. Ex alijs quoq; Capitibus positam esse vltimam dispositionem pro negatiua.

5 Probatur primò quia: Incrementa, quæ sumpsit hæc sententia à Gregorio XV. & post decretum de imposito silentio affirmatiuæ, non erant propalata tempore Gregorij XV. ergo ex alijs Capitibus redditur sententia negatiua proximè definibilis.

6 *Præ*tereà dato, quòd nihil incrementi sumpsisset ista dispositio post Gregorium XV. benè potest stare, quòd tùnc *P*ontifex iudicauerit, ipsam non esse definiendam, quamuis esset definibilis, quia non est in hoc præscribenda forma, nec tempus præsignandum Summo *P*ontifici; potest enim alius *S*ummus Pontifex moueri ad definiendam aliquam veritatem eisdem rationibus, quibus alius *P*ontifex non est motus, quia hoc dependet ab occultissima Dei *P*rouidentia mouentis animum Summi *P*ontificis, quando vult, quomodò vult, & quando Ecclesiæ magis expedit, nàm sicùt dispositio, quæ respectu vnius non est vltima, potest esse, quòd respectu alterius sit

vlti-

vltima; ità fieri poteſt, vt diſpoſitio, quam vnus Summus non iudicat vltimam, alius vltimam iudicet; hinc eſt, vt multæ veritates definitæ ſint à Summis Pontificibus nullis nouis rationibus, aut auctoritatibus ſacrę ſcripturæ propoſitis, ſed ipſiſmet, quæ animos Prædeceſſorum non mouerāt, ſic Benedictus XI. declarauit Animas iuſtorū purgatas igne Purgatorij, ſtatim frui æterna beatitudine iiſdem rationibus, quibus Ioannes XXII. motus non eſt. In caſu noſtro, Paulus V. prohibuit publicè loqui; Gregorius XV. extendit illud decretum ad priuata colloquia, inſuper præcepit celebrari feſtum Conceptionis ſub nomine Conceptionis nullis nouis ſuborientibus rationibus, ſed illis eiſdem, quibus moti Prædeceſſores ſolùm prohibuerunt, nè Patroni vtriuſq; ſententiæ inuicem ſe morderent. Deniq; per Aduerſ. nulla maior notitia habetur nùnc de rebus fidei, quæ non ſit habita tempore Apoſtolorum, ſed nùnc multæ veritates ſunt definitæ, quæ non erant definitæ tempore Apoſtolorum, ergo illa notitia, quæ tempore Apoſtolorum non reddidit in Eccleſia definibilem aliquam veritatem, reddidit eam poſteà definibilem, cùm eadem eſt definita.

7 Ad primum, reſponſio patet ex dictis, nàm multa incrementa, & plures progreſſus ſententia negatiua fecit, quæ non fuerunt nota Gregorio XV.

8 Ad ſecundum reſpondeo. Aduerſarios pugnantia dicere, nàm ſuprà arti docuerunt, Summum Pontificem cohiberi intrà terminos expoſitionum SS. PP. ad res fidei definiendas, & ideò obijciebant magnum numerum DD. pro affirmatiua, cui nihil prodeſt magnus hic numerus, ſi verum eſt, quod dicunt in præſenti, quod maior pars ſæpè vincat meliorem; Quòd autem dicitur de Concilio Baſilienſi, quod ſicùt errauit in deponendo Eugenio IV. ità errare potuit in declaranda negatiua; benè notat Suarez, PP. illos ſinè ſchiſmate declaraſſe negatiuam, licèt non

antè

antè schisma, quod est quid omninò diuersum. Neq; verba adducta ex Florentino sunt indubitata, cum nec in definitione, nec in Decreto Eugenij leguntur; & dato, ea esse indubitata, non sunt prolata in odium Decreti Basiliensis, sed contrà Pelagianos, asserentes liberari homines siuè gratia, & fide Christi Redemptoris, vndè τὸ *solus*, non est iungendus, solus conceptus, & natus, sed τὸ prostrauit, ità vt sensus sit, solus prostrauit.

9. Ad tertium resp. Si numerus DD. non suffragatur negatiuæ, frustrà iactant Aduers. se tot, tantosq; habere Doctores, & PP. pro affirmatiua; an verò, qui afferuntur pro negatiua, si essent in Concilio, sententiam mutarent, id esset diuinare in præsenti, vt ipsi nobis obijciunt; quando asserimus, quòd si D. Thomas nùnc viueret, mutaret sententiam; & cùm iàm assignata sint quattuor scripturæ loca, traditio, & auditis partibus, impositum sit silentium affirmatiuæ, quod est signum, eam minus rectè sentire, vt patet ex vsu Ecclesiæ in similibus casibus, posita iam est vltima dispositio pro negatiua.

ARTICVLVS VII.

An data vltima dispositione, peccaret Summus Pontifex, si non procederet ad definiendum.

1. Videtur quod sic. Primò quia: Deus omnia suauiter disponit; simul prospicit media, & finem; ad Rom. 8. quos elegit, hos & glorificauit &c. ac suaui huic Prouidentiæ deesset Deus, si posita vltima dispositione subtraheret definitionem, ergo peccaret Summus Pontifex, si posita vltima dispositione non definiret.

2. Secundò quia. Soterus Papa in quadam epist. ait, *Diuinis præceptis, & Apostolicis meritis informamur, vt pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu, & si quid reprehensionis obnoxium, cælesti sollicitudine ab ignoran-*

tiæ imperitia, & præsumptionis vsurpatione reuocemus. Et in negotio de Baptismo consultus Summus Pontifex ab Orientalibus, ait; *Exigit dilectio vestra Sedis Apostolicæ consulta, quæ vobis denegare non possumus*; ergo non posset Summus Pontifex ad tot preces, & instantias Principum, Populorum, Religionum non definire negatiuam, si adesset vltima dispositio ad illam.

3 Tertiò quia Summus Pontifex ex officio constitutus est Iudex inter partes litigantes de materia fidei, vt dicitur 24.q 1.c. officij, ergo contestata lite, & positis omnibus dispositionibus, quæ à iure exiguntur, non potest sententiam differre contra ius eius partis, pro qua constās iustitia est. Hinc ait Agatho Papa epist. ad Constantinum; *Væ enim erit mihi, si veritatem Domini mei, quàm illi sinceriter prædicarunt, prædicare neglexero*. Et Gelasius ad Anastasium Imperatorem; *dispositione Diuini sermonis mihi iniuncta, væ mihi est, si non euangelizauero*; Et D. Paulus ad Rom. 1. *Reuelatur ira Dei de Cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.*

4 Quartò quia Summus Pontifex est lucerna posita super candelabrum Ecclesiæ; debet ergo omnibus lucere, & non poni sub modio, ergo stante vltima dispositione debet negatiuam definire, & errores Affirmatiuæ expellere: Hinc in epist. ad Agathonem Papam, quæ habetur in 6. Synodo tomo 1. Concil. ait. *Porrigere dignemini clementissimam dexteram Apostolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum labiorum vestrorum, B. Petrus Apostolus tradidit, sed nō sub modio condatur, sed tuba clarius in toto orbe prædicetur.* Præterea Summus Pontifex est Pastor Ecclesiæ, ergo debet oues à luporum, idest, Dæmonum insidijs liberare; at certum est ex hac disputatione non parua iurgia, & odia à Dæmonibus seminari inter fideles, ergo posita vltima dispositione pro negatiua, teneretur illam definire. Deniq;

Sum-

Summus Pontifex est Pater, Æconomus, & Prouisor Ecclesiæ, ergo petentibus tenetur panem Doctrinæ porrigere, quòd præstaret definiendo negatiuam.

5 Quintò quia. Si Summus Pontifex non definiret, maximè quia aliqua timet inconuenientia, sed sanè timeretur, vbi non est timor, quia nulla inconuenientia debent timeri, vt veritas Catholica taceatur, quando nec Portę Inferi præualere possunt aduersus Ecclesiam Dei; ergo.

6 Sed contrà est dicendum. Posita vltima dispositione respectu nostri non tenetur Summus Pontifex definire, vndè non definiendo, seù retardando definitionem, non peccaret. Dixi respectu nostri, quia si esset posita vltima dispositio respectu Summi Pontificis, ità vt Summus Pontifex iudicaret, positam iam esse vltimam dispositionem, & nulla esset causa eius animum retardans à definitione, satis probabile est, quod teneretur statim definire. Verùm si esset posita vltima dispositio respectu nostri, Summus Pontifex non teneretur definire.

7 Ratio est quia; Per Aduers. ex dictis suprà, Summus Pontifex est solus Iudex, & arbiter definitionis, & non tenetur stare iudicio maioris partis PP. & DD. siuè in Concilio, siuè extrà Concilium potest veritatem Catholicam silentio comprimere, sicuti comprimit sententiam affirmatiuam, non tenetur definire omne definibile, ergo licèt omnes iudicent aliquam veritatem esse in vltima dispositione, poterit iudicare, se non esse adstrictum ad definiendum, addito præsertim, quòd Prima Sedes à nemine iudicatur.

8 Ad primum resp. Aliud esse loqui de vltima dispositione physica, qua posita tenetur Deus suo generali concursu ponere formam, ad quam est illa dispositio, & aliud est, loqui de dispositione morali in ordine ad effectus morales, quorum causæ sunt nobis ignotæ, ob quas sæpè

Deus vel effectus impedit, vel alium effectum habent ab eo, quem putabamus, nec propterea Deus deficit suæ prouidentiæ, quod à fortiori militat in casu nostro, cùm difficile admodum sit, iudicare de vltima dispositione, & quæ est vltima dispositio respectu vnius veritatis, respectu alterius non est vltima.

9 Ad secundum resp. Hoc argumentum valere, quando Summus Pontifex iudicaret adesse iam vltimam dispositionem, sed non concludere iudicantibus nobis adesse vltimam dispositionem.

10 Ad tertium, & quartum similiter respondeo. Summum Pontificem non teneri stare iudicio aliorum, & ideò alijs iudicantibus esse positam vltimam dispositionem, non tenetur se accingere ad definitionem; & sanè hucusq; perfectè impleuit partes Pastoris, Iudicis, AEconomi, Patris imponendo silentium affirmatiuæ, eiusq; assertores tolerando; interim permittendo, negatiuam publicè prædicari, præcipiendo festum, concedendo Indulgentias, & alijs fauoribus illum prosequendo.

11 Ad quintum patet responsio ex doctrina Aduersariorum, qui nolunt Summum Pontificem debere attendere ad circumstantias temporis, & ad inconuenientia, idq; ex Baronio probarunt in supradictis, quod cùm hoc loco negent, maximè notantur inconstantiæ, & cùm sæpè id faciant, signum est manifestum, non stare pro illis veritatem.

ARTICVLVS VIII.

An sit licitum vouere, & iurare, vitam profundere pro tuenda Pura Conceptione.

1 Videtur quod non, Primò quia Licèt in se sit honestum tenere, & defendere sententiam negatiuam, tanquam probabilem, dùm tamen ventilatur, an

an sit de fide, donec accedat declaratio Summi Pontificis, impiũ est, ità vni parti tenaciter adhęrere, vt pro ipsa vita fundatur, ità Castro de iusta Hæret. punitione, & Corduba q. 17. §. 7. dub. 2. dicunt; posse esse Hæreticum eum, qui tanta firmitate aliquam opinionem etiam veram tenet, vt paratus sit pro ea mori; quòd etiam Suarez docet 2.2. tract. 1. disp. 19. sect. 4. n. 6. sicùt etiam impium est perpetuum mancipatum (*vulgò exclauitud.*) vouere.

2 Secundò quia. Mortem appetere, martyrium subire, non est laudabile, nisi vel pro fide, vel pro aliqua virtute, aut in vtilitatem Ecclesiæ, vt docet D. Thomas in epist. Pauli ad Ephes. 3. sect. 1. At sententia negans eo ipso, quod sit opinio, non est de fide, neq; virtus moralis, aut intellectualis, vt docet D. Thomas 1.2. q. 55. art. 4. & q. 57. art. 2. ad 3. & art. 3. ad primum; nec est in vtilitatem Ecclesiæ, nutarent enim tot martyrum testimonia, si intelligerent Ethnici, & Hęretici in testimonium rei dubię, & probabilis profundi sanguinem à Catholicis, ergo.

3 Tertiò quia. Solent coniungere, & simul vnire pietatem ergà Eucharistiam, & puram Conceptionem decantatis illis verbis,

Alabado sea el Sanctissimo Sacramento, y la Pura Conception de nuestra Señora concebida sin mancha de Peccado original.

ergo cùm non possit dici, quòd hæc duo mysteria sint æqualis certitudinis, iam id, quod est de fide certum, cùm opinabili coniungunt; quod est populo rudi ansam præbere, vt in errores incidant.

5 Sed contrà est dicendum. Licitum esse vouere, & iurare pro tuenda pura Conceptione.

5 Probatur primò, quia Clarissimi Theologi Suarez, Granado, & alij docent, licita esse huiusmodi iuramenta, & vota, sicùt enim Thomistæ iurant, se defendere doctrinam D. Thomæ, & vt credo, vsq; ad sanguinis effusionem, cùm tamen doctrina D. Thomæ non sit, nisi probabilis, & opposita doctrina Scoti non modo non sit à publicis actibus electa, aut in claustris vnius Religionis inclusa, sed cùm plausu audita, & à Summis Pontificibus approbata, ità etiam multò magis pia, & negatiua sententia quàmuis sit sólùm probabilis, quia eius contraria est à publicis actibus eiecta, & intrà claustra vnius Religionis inclusa ideò meretur, vt pro ea defendenda voueant, & iurent fideles sanguinem, & vitam profundere. Neq; Suarez loco cit. dicit, Hæreticum esse illum, qui animum paratum habet fundendi vitam pro opinione, quam veram credit, nisi iungatur cùm animo pertinaci non credendi Ecclesiæ, vt patet ex eius verbis.

6 Probatur secundò quia. Vnicuiq; licitum est pro defensione sui Ordinis, & Religionis approbatæ, vitam dare, ergo etiam licitum est, vitam profundere pro Immaculata Conceptione, quia Vrbanus VIII. militiam Christianam instituit sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis.

7 Ad primum iam est responsum ex dictis in probationibus Conclusionis; solùm addo, non esse mirum, quòd fideles voueant perpetuum mancipatum, quia Summus Pontifex sub eodem voto Religiones approbat.

8 Ad secundum respondeo. Actum esse virtutis pro Religione approbata vitam profundere, nec vlla datur ansa fidelibus errandi, quando benè norunt, se protestari pium affectum ergo Immaculatam Conceptionem.

9 Ad tertium respondeo. Sixtum IV. in Bulla pro celebrando festo Immaculatæ Conceptionis coniunxisse simul Indulgentias concessas celebrantibus festum Corporis Christi, & festum Immaculatæ Conceptionis, sicuti

etiam

etiam in vnius Religionis approbatæ votorum formula coniunctim habentur seruitium, & amor ergà Deum, & ergà Immaculatam Conceptionem, nàm eius formulæ verba formalia sunt. *Ego Soror. N. ob amor, & seruitium Domini nostri Iesu Christi, & Immaculatæ Conceptionis eiusdem Genitricis promitto, & voueo Deo, & B. Mariæ &c.*

ARTICVLVS IX.

An sit Dignus Censura, qui diceret sententiam Affirmatiuam esse tutiorem, & securiorem.

1 Videtur quod sic. Primò, quia verificatur de hac sententia, quod dixit D.Hier.ad August. in epist. quæ incipit. Tres simul epistolæ, vbi quampluribus PP. pro se recensitis, ait. Si igitur me reprehendis errantem, patere me quæso errare cùm talibus, & cùm erroris mei multos, habere socios perspexeris, tùnc veritatis tuæ saltem vnum stipulatorem proferre debebis, ergo cùm sententia affirmatiua tot habeat Patres; Negatiua ex antiquioribus nullum, securissimus est is, qui affirmatiuam asserit probabiliorem, & se tutari poterit ex Augustino lib. 1. contrà Iulianum c. 2. vbi post plures Auctoritates SS. PP. dixit. *Cernis cùm quibus tua maledicta sustineam, cernis cùm quibus mihi sit causa communis, quàm nulla consideratione sobria pulsare calumnijs, & expugnare conaris*: & his similia habent Cassiodorus, & Theodoretus, vt patet ex Baronio ad an. 444. n. 21.

2 Secundò quia Tritum est morale Theologorum principium, quod in dubio standum est pro lege iuxtà illud, quod dicitur in l. perspexit ff. qui, & à quibus; maximè si lex vniuersalis est, tutius est, nullum excipere, nisi euidenter constet de priuilegio, & in casu nostro neq; ex Scriptura, neq; ex Traditione, neq; ex SS.PP. immunitas B. Virginis ab originali constat, ergo.

3 Ter-

3 Tertiò quia. D.Thomas, & Bonau.tutiorem iudicarunt sententiam affirmatiuam; sed Sixtus V. constit.76. dixit, hos duos esse Ecclesiæ tanquàm Theologiæ scholasticæ Magistros, ergo qui hos sequitur, securus est à Censura.

4 Sed contrà est Dicendum: Non excludi à Censura, qui diceret affirmatiuam esse securiorem, & tutiorem; quia parum tutum est dicere, affirmatiuam esse securiorem, & tutiorem; sicùt enim parum tutum est dicere, Summum Pontificem deceptum esse in approbatione alicuius Religionis, ità parum tutum est dicere, affirmatiuam esse securiorem, constat enim Summum Pontificem approbasse, ipso Arpallego fatente, plures Religiones in honorem Purissimæ Conceptionis, ergo qui affirmatiuam diceret securiorem, non euaderet censuram minus tutæ locutionis.

5 Resqondebis: Quòd licèt Summus Pontifex non possit errare in approbatione Religionis, temerarium enim est dicere, quòd qui obseruaret aliquam regulam approbatam à Summo Pontifice; erraret à via salutis, tamen motiuum, seù titulus, sub quo Summus Pontifex approbat talem Religionem, non requiritur, quòd sit euidẽs, vel probabilior, sed sufficit, quòd sit probabilis, vt Pontifex non habeat errorem practicum in tali approbatione.

6 Sed contrà est, quia sicùt Summus Pontifex non potest errare in approbanda aliqua Religione, ità neq; potest errare in approbando titulo eius Religionis; licèt enim Summus Pontifex possit approbare aliquando Religionem non approbando Titulum, tamen si inuenimus approbasse Religionem, & Titulum, dicendum est, minus securè procedere, qui non approbat Titulum, ergo cùm in Religionibus sub Titulo Immaculatæ Conceptionis approbauerit Pontifex Titulum, & vota emissa de colenda Pura Conceptione, quæ vota non possunt emitti, nisi de meliori bono, sequitur sententiam negatiuam habere pro

se

se approbationem Pontificis, atq; adeò magis securam esse negatiuam, quàm affirmatiuam.

7. Ad primum resp. Satis, superq; probatum esse, & ostensum, quantum SS. PP. faueant sententiæ negatiuæ, quã parum affirmatiuæ; verùm quia Argumentum nimis præsumit de Antiquorum PP. auctoritate, benè possunt illi opponi Gregorij verba lib. 12. mor. c. 15. *Sed vt ea, quæ afferunt, commendent stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate possint, antiquos PP. se habere testantur, atq; ipsos Doctores Ecclesiæ suæ professionis Magistros dicunt, cùmque præsentes Prædicatores despiciunt, de antiquorum PP. magisterio falsa præsumptione gloriantur; vt ea, quæ ipsi dicunt, etiam antiquos Patres censuisse fateantur, quatenùs hoc, quod rectitudine adstruere non valent, quasi ex illorum auctoritate confirment*; vel alia D. Augustini lib. 6. contrà Iulianum c. 36. *Audes te Choro SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Sacerdotumq; miscere*: & infrà: *His te consociare præsumis, quorum fidem debellare conaris?*

8. Ad secundum respondeo. Ex ipso Paulo, & regula interpretandi Sacram Scripturam, in ipsa lege imbibitam esse exceptionem, vndè illud tritum principium Theologicum intelligitur trita intelligentia, quando lex nullum dat locum exceptioni, seù epicheiæ.

9. Ad tertium resp. D. Thomam, & Bonauenturam locutos esse eo modo, antè tot Summorum Pontificum approbationes; & aliàs D. Thomas pleraq; habet, quæ si quis teneret, non esset tutus, & securus; videlicèt, reddi Irregularem, qui alium occidit se defendendo, Vota simplicia non constituere statum Religionis, erroneum esse, omnes omninò trahere originale peccatum.

ARTICVLVS. X.
An sit Dignum Censura dicere, quod sententia Affirmatiua sit probabilior.

1 VIdetur quod non. Primo quia: Iuxtà Aristotelem illud dicitur probabile, quod videtur omnibus, vel pluribus, aut maximè notis, & probabilibus, & præcipuis, at in his, quæ sunt probabilia in Theologia, & pendent à principijs reconditis, & obstrusis fidei non est attendenda multitudo, neq; indè argumentum est sumendum, sed ex sapientibus; ergo cùm sapientes in Ecclesia sint *PP.* & hi sint pro affirmatiua.

2 Secundò quia. Iconoclastæ licèt sexcenta loca sacræ scripturę adducerent pro se, parum profecerunt in Concilio, ergo non est attendenda multitudo.

3 Tertiò quia. Sententia affirmatiua habet solidiora argumenta, & fundamenta, ergo non est dignus Censura, qui dicit affirmatiuam esse probabiliorem.

4 *S*ed contrà est dicendum. Dignum esse Censura, qui diceret affirmatiuam esse probabiliorem. Ratio est, quia negatiua est omninò probabilior, ergo qui diceret affirmatiuã probabiliorem, non posset euadere Censuram. Probatur antecedens, quia cùm duplex sit probabilitas intrinseca, & extrinseca, vtraq; stat pro negatiua, non pro affirmatiua; Et quidem intrinsecam, quæ ex Rationibus deducitur, stare pro negatiua, ex eo conuincitur, quia vnicum fundamentum, quod habet affirmatiua legis vniuersalis, tot ritè, & rectè adductis explicationibus diluitur. Ratio illa, quæ etiam vnica est, quod Virgo non indiguisset Redemptione, si non contraxisset peccatum originale; ipso S. Thoma, eiusq; fidelissimo Discipulo Caietano attestante, diuellitur, eo quod specialiorem Redemptionem sic tribuamus Christo respectu Virginis, si dicatur à peccato

cato Præseruata. Ex alia parte pro negatiua validius pugnant sacra scriptura, Rationes ex articulo iam definito, ex titulo Matris, sponsæq; Redemptoris, quæ quia ab omnibus afferuntur, non est, cùr hic eadem repetamus. Accedunt miracula, Reuelationes, Institutio festi, circà quam est valdè notandum, quod Sixtus IV. prohibuerit tanquā erroneas duas istas propositiones.

Ecclesia non celebrat Conceptionem naturalem Virginis;

Hæreticus est, qui asserit, B. Virginem fuisse sinè macula Conceptam.

5 Probabilitas etiam extrinseca est multò maior pro negatiua, quia non solùm multitudine, sed etiam pondere Doctorum vincit affirmatiuam, omnes enim Vniuersitates, pleraq; Concilia Prouincialia, Religiones omnes; ipsa Ecclesia, quæ affirmatiuæ silentium indixit, stant pro negatiua. Et sanè contrà Ecclesiæ auctoritatem præualere non possunt duo, vel tres Sancti in contrarium, qui etiam possunt ad pium sensum reduci, vt patet ex D.Thoma 2.2. q.11. art.2 ad 3. vbi loquens de Ecclesiæ Auctoritate, ait. *Quod aduersus eam nec Augustinus, nec aliquis SS. Doctorum suam sententiam defendit.*

6 Ad primum resp. Ex auctoritate adducta Aristotelis potiùs deduci, probabiliorem esse negatiuam, pro qua pugnat multitudo: An verò PP. sint pro affirmatiua, vel pro negatiua, vidimus suprà.

7 Ad secundum resp. Firmiora fundamenta stare pro negatiua, nàm sicùt in naturalibus, fortius, & robustius est, quod à principijs naturalibus melius deducitur, ex D.Thoma cit.ab Aduers. 3.p.q.55.art.5.ità in Theologicis, quod deducitur melius ex principijs fidei; at ex articulo Virginitatis nos suprà deduximus immunitatem B. Virginis à peccato originali.

8 Ad tertium respondeo. Falsum esse, quod Iconoclastæ tot testimonia sacræ scripturæ adduxerint pro eorum

falso dogmate, sed Baronius dicit, non obstare definitioni Adorationis Imaginum, quod in in scriptura inueniantur sexcenta loca prohibentia adorationem Sculptilium. Vbi aduerto primò, hunc errorem fuisse à Patribus confutatum sola recta interpretatione scripturæ, quæ negans adorationem Iconum, non censetur, prohibere adoratione personæ per ipsos rapræsentatæ, si sancta est, sed opera manuum hominum sistendo ibi; & quidem ex alijs locis scripturę probabāt, illa loca sic esse intelligēda, & nos eodē modo ex alijs locis scripturæ interpretamur generalem illam Pauli. Aduerto secundò, quòd hæc veritas de adoratione Imaginum in Concilio Nicæno 1. & 2. miraculis est probata, illo pręsertim duorum Episcoporum, qui cùm obijssent in Concilio, relicto in eorum sepulchro Decreto à PP. rogantibus, & petentibus, vt fidem, quam viuentes defenderant, etiam mortui testarentur, inuenerunt sequenti die, illud decretum ab Episcopis demortuis miraculosè subscriptum, vt Nicephorus, & Gregorius referunt, ergo ex miraculis res fidei validè probantur. Aduerto tertiò, ab Iconoclastis nulla esse adducta testimonia in sensu litterali, nos verò plura adduximus pro Immaculata, ideò parum modestè, imò & iniustè comparamur Iconoclastis.

ARTICVLVS XI.

An sinè Censura possit asseri, quòd affirmatiua sit magis Pia; Christo, & Matri eius magis honorifica.

1 Videtur quod sic. Primò quia: Pietas proùt virtus moralis est, directè, & principaliter tendit ad exhibendum Deo Cultum, & honorem Parentibus, ità D. Thomas 2.2.q. 161. art. 1. & alibi passim; sed qui tenent affirmatiuam sententiam esse veram, consequenter tenent, eam esse magis Piam, quia subijcit proprium Iudicium SS.PP. ex magna obseruantia ad illorum doctri-

nam,

nam, ergo. Hinc Stephanus Pontifex respondens S. Cypriano circà iterationem Baptismi Hæreticorum, ei restitit, etiam si rationem pietatis obtenderet, intelligebat enim, Vir sanctus, & prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi vt omnia, quæ fide à SS.PP. suscepta forent, eadem fide filijs consignarentur, nosq; Religionem non quò velimus, ducere, sed potiùs, quò illa duceret, sequi. Hinc etiam Hilarius contrà Constantinum ait. *Antiquos PP. impugnare, est bellum inferre mortuis, quibus communicare præcepit Apostolis, nunc auctoritate, & fide viuunt, & corpore absentes, magisterio non recedunt.* Hinc etiam S. Augustinus lib. 1. contrà Iulianum c. 2. *etiam ex Sarcophago vindictam quærunt contrà Violatores suæ doctrinæ.*

2 Secundò quia: Pietas, vt est donum, priùs, & per se respicit Deum, vt Patrem, & consequenter, quæ Dei sunt, scilicet Sanctos, ex D. Thoma 2.2. q. 121. art. 1. ad 2. & 3; sed per eum, qui dicit, affirmatiuam esse magis piam, melius saluatur excellentia Christi, vt docet D. Thomas in 3. d. 3. q. 1. art. 1 quæstiuncula 2. ad 3. & ex D. Bonau. loco supra cit. & ex D. Bernardo epist. 174. Prætereà sententia negatiua non benè saluat, non esse aliquam æqualitatem inter Redemptos, & Redemptorem, vt docent SS. PP. Augustinus lib. 3. contrà duas epist. Pelagianorum c. 2. & D. Gregorius lib. 8. moral. c. 33. ergo.

3 Tertiò quia, qui dicit sententiam affirmatiuam iure esse veram, probabiliter etiam dicit, esse magis pium ob reuerentiam prærogatiuæ Christi, denegare B. Mariæ Virgini immunitatem ab originali, & hoc est illi gratiùs, nam vt dicit ipsi addictissimus B. Virgini S. Bernardus; *Libenter Virgo hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari* &c. & iterum *Virgo Regia falso non eget honore.* Prætereà, vt dixit Synodius lib. de Concept. c. 67. *Quantum vera laus ornat, tantùm falsa castigat*, ergo qui probabiliter sentit, eam immunitatem esse falsam laudem B. Mariæ,

consequenter dicere tenetur, se abstinere ab huiusmodi laude, nè falsitate castiget obsequia B. Mariæ, ac per consequens, si non est censurabile primum asserere, nec erit censurabile secundum affirmare.

4 Quartò quia: Non est alienum ab humilitate Mariæ, quæ Ancillam se Domini dixit, dùm Mater eligitur, vt dicit Ambrosius, præsumere, quòd ipsa libentissimè cedit, huic honori, dummodò concipi sinè peccato sit solius filij prærogatiua, sic enim notauit Bonau. loco cit. magis vult honorari, & extolli filium, quàm seipsam, simili ratione, qua Agrippina Neronis Mater, cùm se occidendam à filio Imperatore à Caldæis comperisset, dixit. *Occidat, dùm imperet.* Narrat Cornelius Tacitus lib.4. obtineat igitur Christus imperium Puritatis, & Maria libenter subibit originalis peccati labem, & mortem.

5 Sed contrà est dicendum. Non euadere Censuram, qui diceret affirmatiuam magis Piam, Christo, & Matri eius magis honorificam.

6 Probatur quia. Sententia negatiua est magis Pia; ipsi Christo, & Matri magis honorifica, ergo talis non est affirmatiua; & quidem quòd sententia negatiua sit magis Pia, sumpta pietate pro cultu, qui debetur Parentibus, idest, SS.PP. ex eo conuincitur, quia nullus est Ecclesiæ Pater, seù Doctor, qui affirmatiuam sententiam constanter tenuerit, & ex antiquis PP. plures sunt, qui tenent negatiuam, & nùnc omnes, ergo pietatem non seruant tenentes Affirmatiuam

7 Præterea Pater Patrum est Summus Pontifex, & pia Mater Ecclesia, quæ negatiuam in suo sinu fouet; ex quo Affirmatiuam fugat, ergo non obseruat pietatem, qui tenet affirmatiuam, vndè potiori iure possemus dicere, quòd Stephanus Pontifex respondit S. Cypriano. Existimatam esse pietatem, nil aliud ratione pietatis admittere, nisi omnia, quæ fide à Patribus suscepta forent, ideòq; resti-

tit

tit Cypriano Stephanus, maiorem enim rationem pietatis præfefert obſequium ergà Sedem Apoſtolicam, ideòq;licèt Cyprianus haberet multos PP. pro reiteratione Baptiſmi, falſa pietate deceptum illum docuit Pontifex, ergo ſtante approbatione Sedis Apoſtolicæ pro negatiua, quàmuis PP. nonnulli contrarium docuiſſent, vera pietate ducimur, falſa Aduerſarij.

8 Deniq; nos non repugnamus cùm ſanctis, non impugnamus antiquos PP., eos Catholicè intelligimus, & interpretamur ex eorum doctrina; Ipſi ex Sarcophagis nō vindictam quærentes, ſed veritatem annuntiantes, noſtrā ſententiam docuerunt, ſeq; ipſos explicarunt, vt S. Thomas Epiſcopo Fantino, ergo non ſeruat pietatem ergà S. Thomam, qui deſerit negatiuam, vndè poſſumus dicere Aduerſario, quòd Auguſtinus Iuliano. His te conſociare præſumis, quorum fidem debilitare conaris?

9 Ad primum reſp. Quòd nullus eſt Eccleſiæ Pater, qui affirmatiuam conſtanter teneat; multi ſunt ex Antiquis PP. qui tenent negatiuam; & nùnc omnes, ideò tenentes negatiuam, obſeruant pietatem, ſecùs tenentes affirmatiuam. Ad id, quod affertur ex SS. Cypriano, & Auguſtino mox eſt reſponſum. Quod affertur ex Hilario, militat contrà Aduerſarios, nàm ibi conqueritur Hilarius, quòd dicta PP. reciſa, truncata afferantur, id autem præſtatur adamuſſim ab Aduerſarijs, contrà quos agimus in præſenti.

10 Ad ſecundum reſp. Quod in negatiua melius ſaluatur excellētia Chriſti Redemptoris, quia adſtruitur Redemptio præſeruatiua, quæ eſt nobilior; & negatur ab affirmatiua. Melius etiam per negatiuam ſaluatur doctrina D. Thomæ, quia abſq; eo, quod impingatur culpa B. Virgini, ſaluatur Thomiſtica doctrina; cæterum ea doctrina dicitur melius ſaluari, quæ ſinè eo, quod alicui culpa impingatur, ſubſiſtit, & ſaluatur: melius etiam ſaluatur infe-

rio-

tioritas Matris ad filium, quia hic ex debito vnionis hypostaticæ, & filiationis diuinæ, B. Virgo ex gratia filij est immunis ab originali, vnde verba SS. Gregorij, & Augustini non solùm nobis non officiunt, sed proficiunt, quia loquebantur contrà *Pelagianos* afferentes ex vi naturæ, & non per Christi gratiam exemptos fuisse paruulos à peccato originali.

11 Ad tertium respondetur, benè inuicem componi maiorem probabilitatem cùm minori pietate, cùm enim probabilitas à ratione sumatur, pietas ab obsequio in parentes, potest stare, quòd aliquid sit probabile, & non pium; & magis probabile, & minus pium; nàm primò probabilius est, vel fortasse æquè probabile, non teneri filium in extrema necessitate constitutum *Patri* eadem necessitate laboranti, dare illud, ex quo sequitur propriæ vitæ amissio, & tamen si daret, certum est, filium exercitaturum pietatem ergà parentem. Deindè magis pium est, asserere, homini in articulo mortis constituto absolutionem esse impendendam, saltem sub conditione, licèt signa non dederit contritionis, & tamen non est magis probabile, sed fortè minus, vt latè probat Lugo de *Pœnit.* disp. 17. sect. 3. ergo ex probabilitate sententiæ non sequitur maior pietas.

12 Nec sequitur in negatiua honorari peccatum, aut tribui falsam laudem B. Virgini, quia benè stat, & componitur excellentia Christi cùm præseruatione B. Virginis ab originali, vt suprà diximus, ideòq; Virginis præseruatio ab originali non est falsa laus; & quidem tenentes affirmatiuam non possunt tenere negatiuam absolutè falsam, sed probabiliter veram, & ideò non debent abstinere in praxi à deferenda laude præseruationis à peccato B. Virgini, cùm hæc cedat in maiorem Virginis reuerentiam; Hinc communiter Theologi docent in materia Sacramentorum, Auctores probabiliter tenentes vnam partem in pra-

praxi teneri ad sequendam alteram partem, si hæc cedat in maiorem Sacramenti reuerentiam; quod potest confirmari, quia in sententia Aduers. ex eo, quod quis aliquem honorē deferat Cōceptioni, nō sequitur quod stet pro negatiua, vndè Sūmi *P*ōtifices Cōceptionē honorātes, cōcessione Indulgentiarum, approbatione Religionum &c. nō sunt pro negatiua; ergo etiam tenentes affirmatiuam non debent cessare à laude deferenda B. Virginis, vt præseruatæ ab originali, ideòq; nil probant verba Glossæ, quæ loquitur de falsitate nota, & indubitata. Nec verba Augustini sunt contrà nos, sed contrà *P*elagianos negantes gratiam, & merita Christi, quæ nos extollimus.

13. Ad quartum resp. Quod nimis horrida est comparatio Christi, & B Virginis cùm Nerone, & Agrippina, nàm licèt dubitādū non sit de Virginis humilitate, eamq; velle, magis filium honorari, quàm seipsam, & quòd ipsa libentissime huic honori cedere; si tamen stare posset cùm filij prærogatiua, & non cederet in maiorem honorem filij, eam præseruare, tamen nimis indecens, & horrida est comparatio, cùm ex alia parte Christus velit magis Matrem, quam seipsum honorari, vt ait S. Ambros. lib. 2. in illud Lucæ, ad Virginem desponsatam viro. Maluit Dominus de suo ortu, quàm de Matris pudore dubitari, sciebat enim teneram esse Virginis, & lubricam famam pudoris; nec putauit ortus sui fidem, Matris iniurijs adstruendam, &c.

ARTICVLVS. XII.
An expediat hic, & nùnc discuti proximam definibilitatem.

1 VIdetur quod non. *P*rimò quia: Tanta est huius materiæ difficultas, & subtilitas, tantus est zelus vtriusq; partis defensorum, vt vix de hac re disputari pos-

ri possit sine periculo erroris in vulgo, vel sine occasione clamorosæ rixæ, & iurgij inter disputantes, vt patet ex Abulensi *Paradoxo* 1.c.21. ex Bullis *Pauli* V. & Gregorij XV. qui moti exemplo, & verbis D. Augustini, cùm de peccatis agitur &c. huic Disputationi silentium impofuerunt.

2 Secundò quia: Eadem motiua, quæ excitarunt Summum *Pontificem* ad prohibendam disputationem, an B. Virgo contraxerit originale, extant, ad extirpandam Quæstionem de eius Controuersiæ definibilitate, nimirùm ad submouendas rixas, contentiones, & scandala.

3 Tertiò quia: Iuxtà inuictissimum Sisinij consilium, momenta in hac definibilitate non ex clamorosis dissidijs, & ex tumultu strepitante plebis, sed ex Concilio à supremo Dynasta congregando, exhibitis SS. *PP.* codicibus sunt expendenda.

4 Sed contrà est dicendum. Expedire hic, & nunc discuti proximam definibilitatem.

5 Probatur quia: Eædem rationes, eademq; motiua, quæ mouerunt animum Summorum *Pontificum* ad prohibendam disputationem de Conceptione, extant etiam per Aduersarios ad expellendam, & exulandam à publicis disputationibus quæstionē de definibilitate, ergo idem quod factum est in disputatione de Conceptione; faciendum est in disputatione de definibilitate, sed in quæstione de Conceptione indictum est silentium assertoribus partis affirmatiuæ, ampla relicta facultate defensoribus negatiuæ, eam defendendi publicè, & priuatè in Tractatibus, siuè scriptis, siuè prælo cusis; silentium est ergo imponendum se se opponentibus proximæ definibilitati, quia ex eius negatione oriuntur scandala in populo, rixæ inter Doctores, sicùt ex affirmatione peccati originalis in Virgine suboriuntur, vt declarant *Pontificiæ* Bullæ; & omninò asserenda est proxima definibilitas sententiæ negantis peccatum originale in B. Virgine.

9 Ad

6 Ad primum resp. Perperam Arpallegum, & truncatè afferre Abulen., qui cũ vtriusq; partis assertores reprehẽdat, quòd non ex veritatis affectu, nec ex maiori erga Virginem deuotione antiquata habeant litigia, ipse solùm transcripsit, & transpositè etiam, vt solet, verba contrà assertores negatiuæ. Deindè Abulensis loco cit. dicit, hanc litem futuram immortalem, nisi Decretum interueniat, & sententia definitiua, quam esse necessariam, negant Aduersarij. Dicit secundò, quòd cùm in rebus dubijs id, quod est certius, & fauorabilius eligendum sit; tutius esse, & fauorabilius negare peccatum originale in B. Virgine. Deindè S. Augustinus loco cit. per Aduers. non loquitur de peccato originali, sed de actuali; ideò Summi Pontifices non sunt moti auctoritate S. Augustini ad imponendum silentium, sed vt submouerentur scandala, & rixæ, quas ex Assertione affirmatiuæ oriri in suis Bullis apertè declarant.

7 Ad secundum patet responsio ex dictis in Conclusione, cum enim rixæ, & scandala oriantur ex affirmatione peccati originalis in B. Virgine, ex negatione proximæ definibilitatis negatiuæ, nè eadem scandala suboriantur, debet imponi silentium negantibus proximam definibilitatem.

8 Ad tertium dico, Sisinij consilium non veterum discordiarum terminum, sed nouarum dissensionum seminarium fuisse; ipse dùm prosequitur historiam cit. cap. testatur Socrates; nàm accersitis Imperator vtriusq; partis Episcopis super Quæstione de Consubstantialitate filij, & expetitis veterum PP. libris, variarum sectarum varia fuit opinio, ità vt etiam, qui eandem sententiam sequebantur, inter se ipsos dissentirent; ideò ad aliud consilium confugiens Imperator præcepit, vt ad præstitutum diem, singuli fidei, quam tenebant, declarationem mitterent; quorum scriptis signata die ab Imperatore acceptis, & in

R secre-

secreto cubiculo, quo se contulit, perlectis, Trinitatis unitatem dirimentes damnauit, Consubstantialitatis assertores laudauit, approbauit. Proferantur, si Sanctissimo placuerit, quos magno habemus in honore, authentici Codices, idq; non clamorosis vocibus, sed supplici humiliatione à supremo Dynasta enixè petamus. cùm enim causæ nostræ non diffidamus, sententiam Iudicis non effugimus.

ARTICVLVS XIII.

An publicè asserentes, sententiam negatiuam esse vltimò dispositam ad definitionem, Pontificijs Decretis contrauenìant.

1 VIdetur quòd sic. Primò quia: Summi Pontifices non solùm sub grauibus pœnis interdixerunt censurare affirmatiuam, sed etiam voluisse, omnes præ oculis habere, quòd Sua Sanctitas non intendit alteram partem, idest, affirmatiuam reprobare, aut aliquod præiudicium inferre, sed illam relinquere in ijsdem terminis, & statu, in quibus erat antiquitus, sed qui dicit, negatiuam esse proximè definibilem, non relinquit affirmatiuam in ijsdem terminis, in quibus erat antiquitus; si enim negatiua est proximè definibilis, ergo affirmatiua est proximè damnabilis; nunquam autem affirmatiua fuit proximè damnabilis, & ideò expurgatorium nouissimum expurgauit in Poza id, quod dixit lib. 4. Elucidarij tract. 1. c. 4. fol. 886. col. 1. quod scilicèt, decursu temporis Fideles sententiam affirmatiuam, vt temerariam, & erroneam declarabunt.

2 Secundò quia: Idem est dicere, sententiam negatiuam esse vltimò dispositam ad definitionem, ac dicere, esse vltimò dispositam, vt sit de fide; & quòd non potest Summus Pontifex declarare, eam non esse de fide, ergo est idem, ac dicere, quòd sententia affirmatiua non solùm

erronea declarabitur, sed etiam Hæretica, sed vbi est eadem ratio, debet esse eadem iuris dispositio, ergo.

3 Tertiò quia: Sufficit in hac materia Censura æquiualens, & virtualis, vt contrà Pontificum decreta procedatur, nàm ex eo Doctor Valle de Moure lib. de Incant. & Ensalmis sect. 2. c. 3. n. 26. dicit, Concionatores scrupulosè excusari posse à Censuris latis contrà censurantes affirmatiuam, quando ex locis scripturæ literaliter intellectis probant negatiuam, quia hoc est, æquiualenter dicere, negatiuam esse de fide, & affirmatiuam esse Hæreticam, sed dicere, negatiuam esse proximè, vt sit de fide, est dicere æquiualenter, affirmatiuam esse proximam hæresi, ergo: Hinc in nouo Expurgatorio expungitur in Poza, quòd dixerit lib. 4. c. 7. propria, & absoluta canonizatione decreta esse quò ad sanctitatem, & veritatem illius ex vi decreti Gregorij XV. quia inquit, expurgatorium prædictũ continet virtualem, seù æquiualentem Censuram, ergo Sacrum Tribunal censuit per virtualem Censuram contraueniri Decretis Pontificijs.

4 Quartò quia: Qui dicit negatiuam esse proximè definibilem; dicit, affirmatiuam esse periculosam in fide; nàm si medicus diceret; hic Ægrotus habet vltimam dispositionem ad formam cadauericam, æquiualenter diceret; & omnes idem expressè intelligerent, vitam illius esse in summo periculo, & discrimine; & qui diceret, litem esse in vltima dispositione, vt Petrus, exempli gratia, damnetur pro latrocinio, vtiq; Petrum infamaret, & teneretur ad restitutionem honoris, ergo à simili, qui dicit, negatiuam esse proximè dispositam, vt declaretur de fide, æquiualenter dicit, oppositam esse in summo periculo, & discrimine, vt damnetur, & ideò non esse tutam, sed periculosam in fide, atq; adeò magnam honoris iacturam facerent sentientes pro affirmatiua, infamarentur enim, quia dicerentur esse in proximo statu, vt pro hæreticis damnẽtur,

tur. Hinc docet Lorca 2.2.q.11. disp.40. n.7. tùnc aliqua propositio est hæretica, quando scitur, quòd ità sit definita, tùnc autem aliqua propositio est erronea, quando opposita scitur, quod sit proximè definibilis, & per consequens, quòd ipsa sit proximè disposita ad condemnationem; si ergo Summi Pontifices prohibuerunt, vt neutra tanquam hæretica censuretur, prohibuerunt vtiq; , vt neutra dicatur proximè definibilis, cùm enim vna dicatur proximè definibilis, altera, & opposita dicitur erronea, & vt erronea censuratur.

5 Quintò quia: Non euaduntur Censuræ, ex eo, quòd qui dicit negatiuam esse proximè definibilem, id non dicit iuridicè, & definitiuè, sed probabiliter, nàm id non est expressum in tali prohibitione, & Ecclesia non iudicat de occultis, sed de verbis, vt iacent: Secundò hoc est, quod Summi Pontifices prohibuerunt, nè probabiliter loquendo censurarent, nàm pro certo habent, nullum Auctorem esse adeò dementem, vt hoc præsumat dicere iuridicè, & sententialiter. Tertiò, quia expuncta est in Poza Canonizatio sententiæ negatiuæ, quia continebat virtualem censuram, non obstante, quòd Poza protestatus erat, se id nō assertiuè dicere, sed disputando proponere; demum quia si valeret talis euasio, posset etiam quis dicere, probabiliter sententiam affirmatiuam esse Hæreticam, temerariam, & peccare mortaliter sentientes pro illa.

6. Sed contrà est dicendum. Publicè asserentes negatiuam esse proximè definibilem, non contrauenire Pontificijs Decretis.

7. Probatur quia: Arpallegus ex eo existimat, euasisse pœnas impositas asserentibus, vel prælo mandantibus sententiam affirmatiuam, quia nondùm emanauit expressum decretum vetans agi de proxima definibilitate; quod probat, etiam dicens; eandem propositionem sub vna dispositione præmissarum vitiosè posse deduci, sub altera legi-

timè,

timè; sub vna ratione formali pertinere ad vnam scientiã, sub alia ad diuersam; ex quo infert, quòd licèt in disputatione de definibilitate necessariò sint inferenda omnia fundamenta pro sententia affirmatiua, non indè sequi, se transgredi, & frangere silentium à Summis Pontificibus impositum, quod confirmat exemplo, quia ferè eędem rationes, quæ sub ratione auxiliorum Dei prælo mandari absq; nota Pontificiæ inobedientiæ nequeunt, licere eas in medium adducere sub nomine, & ratione efficacis Prędefinitionis Diuinæ, vndè infert sibi licitum easdem rationes, quæ sub ratione Conceptionis B. Virginis in peccato adduci non possent absq; nota confracti silentij, adducere sub ratione non definibilitatis; quo posito, sic probatur Conclusio ad hominem: vbi est eadem ratio, est eadem iuris dispositio, sed Pontificia decreta non prohibent loqui de definibilitate, ergo qui asserit, illam non contrauenit Pontificijs Decretis. Vrgeo; Arpallegus loquens de definibilitate, relinquit silentium in ijsdem terminis, & vigore, in quo erat, antequam ipse loqueretur, ergo qui asserit sententiam negatiuam esse definibilem, relinquit affirmatiuam, & Pontificia Decreta circà illam in eodem statu, & terminis, in quibus erat: tenet consequentia, quia ideò Arpallegus non frangit silentium, quia non est impositum quò ad definitionem, sed quò ad affirmationem Conceptionis in peccato tantùm, sed Pontificia decreta per te non prohibebãt loqui de proxima definibilitate, ergo qui illam adstruit, non ponit sententiam affirmatiuam in diuerso statu, ac erat anteà, quia eadem propositio sub vna dispositione præmissarum potest vitiosè deduci, & esse contrà decreta, sub alia non; vel ergo frangis ipse silentium, vel nos decreta non frangimus.

8 Ad primum resp. Quod Summi Pontifices non dicunt, relinquere sententiam affirmatiuam in ijsdem statu, & terminis, in quibus erat antiquitus, sed in ijsdem statu,

& terminis, In quibus reperiebatur, quando decreta promulgantur, quod, vt de se patet, est valdè diuersum; Si quis ergo dicat, affirmatiuam esse in diuerso statu nùnc, quando decreta promulgantur, ac erat antiquitus antè decretorum promulgationem, nō dissonat, sed consonat, decretis Pontificijs, Pontifices enim semper addunt in suis decretis, se nolle præiudicium inferre affirmatiuæ, prætterquàm quò ad disposita, ergo disponunt aliquid, per quod affirmatiua ponitur in alio statu, ac erat antiquitus, aliàs illa exceptio esset superflua, ergo qui asserit, eam esse in diuerso statu, non frangit, sed obseruat Decreta Pontificia.

9 Ad illud; quod dicitur de expurgatorio: Resp. Pozam directè impugnasse affirmatiuam, vel quasi diuinando dixisse, *eam fideles progressu temporis, vt temerariam declarabunt*; Expurgatorium deleuit; *declarabunt*, & posuit, *declarare poterunt*; Nos autem non dicimus, quòd negatiua definietur, sed quod est definibilis proximè, quod potest proximè definiri, quod sanè consonat Sacro Tribunali, & consequenter Decretis Pontificijs.

10 Ad secundum resp. Quod quia negatiua probatur ex locis sacræ scripturæ, non contrauenitur Decretis Pontificum, aliàs non minùs affirmatiua, quàm negatiua silentio premeretur, quidquid in contrarium dicat Valle de Muore, quia Pontifices solùm prohibent directè impugnare, & censurare affirmatiuam; Hinc Expurgatorium in Poza non expurgauit loca scripturæ, ex quibus ille probat negatiuam.

11 Ad tertium resp. Quod virtualis, vel æquiualens Censura non est illa, quæ virtualiter continet formalem Censuram, vndè ista; *Negatiua est proximè definibilis*, non continet virtualiter formalem Censuram, quia virtualiter solùm continet istam aliam, affirmatiua non est proximè definibilis, quæ non est formalis Censura, aliàs Arpallegus.

ius probans negatiuam non esse definibilem, illam censuraret per totum suum libellum, seù Tractatum. Esto, quòd ex ista; *Affirmatiua non est proximè definibilis* possint deduci aliæ consequentiæ, quas vult Arpallegus. Quòd si asserere, negatiuam esse proximè definibilem continet Censuram ex eo, quia indè sequitur, quòd contraria sit proxima, vt damnetur, nulla esset propositio; quæ contrariam non censuraret, & per consequens contraueniret Decreto Vrbani vniuersaliter prohibentis, nè Auctores vnius sententiæ alteram censurent in quacunq; materia, nàm in quacunq; materia dicere vnam partem esse veram, est dicere, alteram esse falsam; dicere autem falsum, est dicere, non posse definiri, & posse damnari; dicere de aliqua posse damnari, est dicere, esse damnabilem; hæc est censura; ergo à primo ad vltimum per consequentias, quælibet propositio, quæ asserit, aliquid esse verum; censurat oppositam; quòd quis non videat, quàm sit falsum?

12. Ad quartum resp. Neq; sequi ex assertione proximæ definibilitatis negatiuæ, quòd negatiua dicatur periculosa in fide, nàm præter dicta mox ad 3. Propositio periculosa in fide non est illa, quæ est in periculo, vt per definitionem subsequentem dicatur hæretica, nàm sinè vlla censuræ nota, neq; periculo in fide, vsq; ad definitionem tenuerunt SS. PP. & DD. aliquas Doctrinas, posteà damnatas; sed est periculosa in fide, quandò continet doctrinam, ex qua est periculum incidendi in errorem contrà aliquam veritatem ex definitis; & sic exemplum medici non est ad rem, quia dato, quod idem sit dicere; est in periculo, vt definiatur, ac est in periculo, vt moriatur, non sequitur, illam esse Censuram, quia non est dicere, esse periculosam in fide: ex quo etiam ruit exemplum de constituto in carcere cùm vltima dispositione, vt pro latrocinio damnetur, quia qui hoc diceret, si existimaret dicere verum, nulli esset restitutioni obnoxius, maximè quia Republi-

publica, notoria, & deducta ad iudiciū; ità est in casu nostro, publicum est enim, quod dicimus de affirmatiua, & negatiua quò ad definibilitatem; & potiùs Assertores affirmatiuæ tenerentur restituere honorem B. Virgini, cui detrahunt, asserendo affirmatiuam.

13 Deindè Lorca non dicit, quòd nùnc propositio est erronea, quando opposita est vltimò disposita ad definitionem, sed quandò aliqua propositio opponitur doctrinæ fidei; at id non est notorium, vt patet ex illis verbis; talis est vna, aut altera pars Quæstionis, quæ modo agitur de præuenientibus auxilijs; at de neutra harum partium secundum Lorcam, & apud omnes scitur, quòd sit proximè dispposita ad definitionem, ergo non dicit Lorca; illa est erronea, quæ est proxima definitioni, sed quia supponit vnā, aut alteram partem opponi scripturæ, licèt non notoriè, quia quæ sit illa, nescitur.

14 Ad quintum resp. Quòd si ad euadendas Censuras Pontificias non sufficit ponere illum terminum probabiliter, non euaderet Censuram Arpallegus, qui toties inculcat, negatiuam esse contrà scripturam, contrà Traditiones, quæ quidem expresè sunt Cēsuræ formales, vel æquiualentes; si non sufficit ponere illam particulam probabiliter, neq; sufficit Arpallego, ponere particulam, non assertiuè, sed relatiuè, cùm qua cautione dicit, sententiā negatiuam esse Hæreticam, temerariam, impiam, quæ ipse æquè ferret, si dicerentur de affirmatiua, ergo ipse potiùs contrauenit Pontificijs Decretis, qui ponit Censuram formalem, & virtualem, non verò asserentes negatiuam, qui ponunt virtualiter Censuram virtualem, ponunt enim solùm verba, non quæ virtualiter continent Censuram formalem, sed virtualem deductam per consequentiam immediatam, & remotam ex mera assertione suæ sententiæ, quam tamen possunt alijs verbis explicare, & de qua licitè loqui potest. Præterea prohibitum est, nè neutra sen-

tentia in materia de Auxilijs censuretur, & tamen vtriusq; sententiæ Auctores mutuò sibi obijciunt incidere in sententiam Pelagij, vel incidere in sententiam Caluini, quod videtur esse æquiualens Censura, & tamen non damnantur de incursis pęnis decretorum Pontificiorum, ergo similiter in casu nostro.

15 Respondebis; Quod arguendo per modum inconuenientis, & sequelæ quiuis potest, quod libuerit, obijcere; quo modo posset quis arguere contrà mysterium Sanctissimæ Trinitatis; sed aliud est, appēdere pro Cōclusione, qui negat auxilium præuium esse supernaturale, est Pelagianus; & in præsenti materia neq; arguitiuè licet, alterutram sententiam censurare.

16 Sed contrà est, quia in materia de Auxilijs non solùm arguitiuè, sed etiam assertiuè, & pro Conclusione licet appendere, alteram sententiam esse conformem scripturæ, & SS. PP. quàmuis prohibitum sit asserere, & pro Conclusione appendere, qui negat auxilium præueniens esse supernaturale, est Pelagianus; & dicere, alteram sententiam esse contrà sacram scripturam, & SS. PP. ergo etiam in præsenti materia nè dùm arguitiuè, sed etiam assertiuè erit licitum asserere, negatiuam esse conformem scripturis, & PP., esse definibilem, dummodò non dicamus, affirmatiuam opponi scripturæ, & SS. PP. Præterea ista propositio, *Negatiua est proximè definibilis*: est impressa publicè à quibusdam Recentioribus, & in quibusdam Academijs publicè defensa, ergo permissa à Sacro Tribunali Inquisitionis.

17 Respondebis. Aliud est, esse permissum; aliud, esse approbatum; nàm S. Tribunal permittit in Patre Leandro Capuccino in c. 5. Iudith. Quòd Deus non potuit de potentia absoluta permittere peccatum originale in B. Virgine; & in Expurg. expunctum est in Poza, quod dixerit, B. Virginē non potuisse concipi in peccato originali, quia fuit à Deo miraculosè fabricata.

18 Sed

18 Sed contrà est quia; quòd negatiua sit proximè definibilis, non solùm est permissa, sed etiam approbata; sicùt etiam propositio P.Leandri fuit approbata, in Poza verò expurgatur, quia causam eius impossibilitatis refudit in miraculosam fabricationem B. Virginis. Leander verò refudit in Dei bonitatem, nempè dato, quòd Deus decreuerit sibi copulare B.Virginem per gratiam, & dare illi beatificam visionem, non poterat illam non præseruare ab originali, quia est incompossibile cùm Gratia, & cùm Beatifica visione.

Conclusio Operis.

1 SEntentiaq; omnium nostrum sit, Immaculatam Virginis Conceptionem esse proximè diffinibilem. Quod probo corollario syllogismo, ex præmissis articulis collecto.

2 Ad diffinibilitatem proximam nihil amplius excogitari potest conducere, vel exquiri, quàm Testimonia sacræ scripturæ, Traditio Ecclesiastica, Patrum auctoritas, Festi solemnitas ex Apostolica institutione, miraculorum adminicula, Probatissimorum Conciliorum decreta, reuelationum adiumenta, Religionum Apostolica approbatio, silentium parti oppositæ impositum, Religiosorum cœtuum vota, Academiarum celeberrimarum suffragia, maior probabilitas, & pietas, Principum instantia, & populorum desideria: sed hæc omnia non solùm diuisiuè (vti in aliquibus veritatibus iam diffinitis) sed collectiuè concurrunt in hac materia, ergo est proximè diffinibilis.

3 Probatur minor (Maior à nemine potest in dubium verti,) nàm art.2.ostendimus cùm Augustino, hanc veritatem esse ex diffinibilibus.

4 In eodem art.2. testimonia Pauli, quæ pro sententia affirmatiua afferuntur, negatiuæ non officere, neq; eius diffinibilitati opponi, ex ipso Paulo, & regulis interpretandi

tandi sacram scripturam, probauimus. Insuper quatuor testimonia, ex Genesi, Leuitico, Canticis, & Euangelio, in sensu literali ex Patrũ expositionibus, exhibuimus art. seq. Traditionem Ecclesiasticã, quã ad diffinibilitatem conducere probauimus, adduximus: art. 9. Nullum Summũ Pōtificem in Cathedra Petri constitutum, ex ipsa aliquid cōtrà Immaculatã Conceptionem dictasse: plures, pro ipsa oracula edidisse, manifestũ fecimus. Vbi etiã ex Concilio Tridentino proximã diffinibilitatem deduximus. Art. 10. & art. 11. ex SS. Patribus, neminem affirmatiuæ sententiæ constanter adhæsisse monstrauimus, insuper pro negatiua sententia mentem SS. PP. Hieronymi, Augustini, Ambrosij, & Gregorij explicauimus, vbi etiã pro eadem sentẽtia Concilium Frãcfordiense, & sextam Synodum generalem produximus, & Origenem, Antiochum Abbatem, Germanum Patriarcham, Brunonem, Timotheum Hierosolymitanum, Proculnm, Ioannem Damascenum, Ansbertum, Basilium, Georgium Nicomediensem, Nazianzenum, Dionysium Alexandrinum, Cyrillum Alexandrinum, Leonem Imperatorem, Cyprianum, Bedam, & Vsuardum, Athanasium Riccardum, Anselmum, Ildephonsum, Fulbertum, Petrum Damianum, Dionysium Carthusianum, Thomam à Villanoua, S. Patriarcham Dominicum, & ex ipsius filijs tres S. Vincentium Ferrer. Ludouicum Beltran, Albertũq; Magnum pro sententia negatiua adduximus. In art. 16. S. Thomam ritè, & rectè intellectum non solũ non refragari, sed suffragari sententiæ negatiuæ vidimus, quod & de S. Bonauẽtura ostendimus. Vbi etiã ex Scholasticorũ incude firmũ instrumentũ pro diffinibilitate proxima cōfecimus.

5 In Quæst. 2. art. 1. Reuelationes approbatas à Sede Apostolica in confirmationem Immaculatæ Conceptionis inueniri, tradidimus. Art. 2. miracula ad diffinitionem rerum fidei conducere ex SS. Gregorio, Augustino, Thoma, alijsq; Patribus Latius disseruimus, & multa pro hac veri-

tate in Armamentario Seraphico dignæ fidei, adduci retulimus;in 3.art. ex Festi institutione, & Indulgentiarum concessione efficax argumentum instruximus. In 4.art.ex silētio imposito affirmatiuæ sententiæ crescere proximam diffinibilitatem negatiuæ, satis clarè demonstrauimus. In quinto, ex alijs capitibus, si quæ sunt, diffinibilitatem non deficere probatum reliquimus.

6 Artic.9.maiorem probabilitatem intrinsecā,& extrinsecā, pietatemq; firmis rationibus stabiliuimus,quam vt magis tutam, & piam ab omni viro Catholico esse amplectendam, suadet Tostatus,Religiosorum cœtuum vota, Academiarum suffragia per authentica decreta in Armamentario relata, nota fecimus, Principum instantias, & populorum desideria, ipso Arpalego attestante, nobis assistere vidimus. Pro quibus omnibus sufficeret vnius Catholici Monarchæ Philippi Quarti Regis nostri, pijssima ab ipsius Regni primordijs, deuotissima solicitudo: ergo concurrunt omnia requisita ad proximam diffinibilitatem, non solùm diuisiuè, sed etiam collectiuè sumpta:ergo est proximè diffinibilis.

7 Vndè sperare meritò possumus, quòd SS.D.N.Alexander VII. his omnibus perpensis, & vniuersalis Ecclesię votis, precibusq; pia benignitate exceptis, ad diffinitionem huius mysterij nemine retardante se accinget. Sic speramus, sic vouemus, vtinam annuat, vtinam diffiniat. Et quæcunq; diximus ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, toto animi affectu, & deuotione,doctissimorumq; virorum censuræ subiecta beneuolo aspectu suscipiat.

Laus Deo, & Beatissimæ semper Virgini Deiparæ MARIAE à peccati originalis labe,ex Filij sui meritis, meliori redemptione præseruatæ.

PANORMI, Typis Ioseph Bisagni Anno 1660.
Superiorum Permissu.

DIFFINIBILITAS PRÆSERVATIONIS B.M. VIRGINIS à peccato originali ex Sac. Conc. Trid. exceptionibus, vt colligatur.

DVo decreta edidit Conc. Trid. ex quibus valdè roboratur piæ ſententiæ diffinibilitas. Primum ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali, vbi in fine ſic habet: *Declarat tamen hęc ipſa Santa Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, ſed obſeruandas eſſe conſtitutiones fœlicis recordationes Sixti Papæ Quartis ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas innouat.*

Aduerto in primis illam particulam, *tamen*, magnum præbere fundamentum ad dicendum hanc declarationē eſſe exceptionem regulæ generalis ſupra poſitæ de peccato originali, nam dictio, *tamen*, vti notat Barboſa de dictionibus cum alijs: eſt reſtrictiua, aduerſatiua, exceptiua, vnde idem eſt, ac ſi diceret Conc. declaro, quod reſtringitur, limitatur illa regula generalis, ſeù non extenditur ad B.V.M.

Deinde adnotatam volo illam particulam, *hac ipſa*, idemtitatem aſſeuerantem perſonę loquentis, quaſi dicat, ipſa ſanta Synodus, quæ decretum ſuperius de peccato originali edidit, ipſa, eademq; eſt, quæ nunc, quid in illo decreto intenderit, declārat. Nemo ſit, qui dubitet eādem S. Synodum in Spiritu ſancto legitimè congregatam, eodem Spiritu ſancto aſſiſtente, & dictante, ibi, & hic locutam fuiſſe.

Ex quo etiam *Sancta Synodus* dicitur, quia Sancto Spiritu congregata, quia Sancto Spiritu plena, quia Sancto

Spiritu assistente, & declarante, quid in decreto generali, quid in scripturis de peccato origiuali reuelauerit, hanc nouissimè facit declarationem.

Quid ergo continet hæc declaratio? *Non esse suę intentionis comprehendere in decreto illo, in quo de peccato originali* tractatur, & traditur generalis doctrina, *Beatã, & Immaculatam Virginem*, quę quidem non alia potiori ratione titulo Immaculatæ gaudet, nisi qnia sine macula originali extitit, ideòque merito nunc assistente Spiritu Sancto *Immaculata* appellatur à S. Concilio.

Ex quo Concilij declaratione arguo sic: Concilium declarat, non fuisse suę intentionis compsehendere Virginem in decreto de peccato originali, ergo procul dubio quando edidit illud decretum, non inclusit in illo Virginem, ideò enim inclusit omnes alios, quia non caruit intentione comprehendendi illos, atqui declarat, caruisse intentione comprehendendi Virginem: ergò non inclusit illam, atque adeò manet exclusa. Ex carentia enim inclusionis bene infertur exclusio.

Si dicas: cæteros omnes inclusisse, non præcisè ex eo, quia non caruit intentione comprehendendi; sed quia habuit intentionem includendi, dicam ego; ergo vt illi nõ manerent exclusi, necesse fuit illa expressa intentio includendi, ergo vt includeret Virginem, etiam fuit necessaria expressa intentio includendi, sed hac caruisse Concilium declarat, ergò mansit Virgo exclusa, seù non inclusa.

Si nunc dicas: ad includendam Virginem non requiri expressam intentionem excludendi; sicut ad cæteros includendos, ad excludendam vero requiri expressam intẽtionem excludendi: insurgam contra te: ergo minus requiri ais, vt includatur Virgo, quam vt alij descendentes Adami includantur; & magis vt excludatur illa, quam vt illi excludantur; cum ad eos includendos requiras ex-

pressam voluntatem includendi, quàm non requiris ad includendam Virginem; & ad excludendam Virginem requiras expressam voluntatem excludendi, quam non requiris ad excludendos cæteros Adami filios. Ho c autem quis non videat sine fundamento dici, & sine rubore non posse dici?

Quòd si ad non includendam Virginem requireretur expressa voluntas eam excludendi, dicendum esset per te, quòd Virgo fuit inclusa, quia Conc. per te non habuit illam expressam voluntatem excludendi, vnde manebit inclusa. At esse inclusam pugnat contradictoriè, cum carētia intentionis includendi, & hanc fuisse in Concilio, cōstat ex eius declaratione, non esse intentionis suę includere Virginem: ergo dicendum necessariò est, Conc. per illam declarationem significare voluisse. Virginem omnino exclusam ab ipso fuisse à regula generali, qua omnes filios Adam dixit incurrisse peccatum originale.

*N*unc sic: intentio Concilij est intentio Spiritus sancti, ergo si Concilium non habuit intentionem comprehendendi Virginem in decreto de peccato originali, Spiritus Sanctus non habuit talem intentionem comprehendendi Virginem in verbis Pauli. *D*icere enim *S*piritum Sanctū habuisse intentionem comprehendendi Virginem in decreto Conc. fundato in eisdem verbis Paulis, & ex illis inferente comprehendi omnes *A*dæ filios, vt hęreticos hoc negantes compesceret, est absonum, & à veritate prorsus alienum, ac catholicę doctrinæ iniurium. Hæreticisque ansam præbens, dicendi Concilia cum assistentia Spiritus Sancti explicantia scripturam habere diuersam intentionem ab ea, quam habuit Spiritus Sanctus, quando easdē scripturas dictauit. Vel enim *S*piritus Sanctus cum dictauit Paulo illud, ***in quo omnes peccauerunt***, habuit intentionem includendi Virginem, vel non: si non habuit, habemus intentum: si habuit, cur Spiritus Sanctus in Concilio non inclusit, sed declarauit non esse suæ intentionis includere.

 Con-

Confirmatur sequenti cōsideratione. Quid enim aliud est dicere, qui negauerit omnes incurrisse peccatum originale, contradicit Apostolo: Declaro tamen non esse intentionis meæ in hoc decreto comprehendere Virginem, quam dicere, quòd quando dictauit illa verba Paulo non habuit talem intentionem. Non ne ridiculum esset, & inane, imo iniurium Spiritui sancto affirmare, quod cum illa verba dictauit Paulo, habuit intentionem comprehendendi Virginem, vnde sequitur contradicere Paulo, qui negant Virginem incurrisse peccatum originale: at cum eadem verba dictauit in Concilio non habuit eandē intentionem, imò contrariam, ex qua sequitur non cōtradicere Paulo, sunt contradictoria, quæ attribuere diuino Spiritui insolentissimum, & hæreticum est, ergo dicendū est ex vi huius declarationis, Spiritum sanctum non inclusisse Virginem in verbis illis, *in quo omnes peccauerūt*, quando ea dictauit Paulo. At illam fuisse Concilij mentem, scilicet declarare, non contradicere Paulo, qui negaret peccatum originale in Virgine, sicut declarauerat cōtradicere, qui hoc negabant in cæteris posteris, Adæ cōstabit, si iungamus decreto declarationem, sic: *Si quis Adæ præuaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, et iustitiam, quā perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eam perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem, & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti, per vnū hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Declarat tamen hæc ipsa Santa Synodus non esse sua intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatā Virginem Mariam Dei Genitricem.* Quid aliud est hoc, quam dicere, non contradicere Paulo, qui asserat Virgini

Mariæ non nocuisse peccatum inobedientiæ sicut alijs Adæ posteris, neque in ipsam transfudisse peccatum, sicut in totum genus humanum ; sequitur ergo quod quando dictauit Spiritus sanctus illa verba, Paulo non habuit talem intentionem, vt contradiceret Paulo, qui diceret, Virginem non fuisse inclusam in lege generali peccati originalis.

Dices hoc argumentum, *intentio Concilij est intentio Spiritus Sancti, ergo si Conc. non intendit comprehendere Deiparam sub testimonio Pauli, neque Spiritus sanctus id intendit*, illegitimum esse, imo & ridiculum, nam quia omnis intentio Conc. est intentio Spiritus sancti, non licet è contra inferre, omnem intentionem Spiritus sancti esse intentionem Conc. aut nihil aliud comprehendere Spiritum sanctũ suo iuditio, & intentione, quam iudiciũ, & intentio Concilij comprehendãt, similis enim est huic prædicta consequentia, *Omnis effectus causa secunda est effectus causa prima: ergo omnis effectus causa prima, est effectus causa secunda*, vel *ergo quod non causat causa secunda, nõ causat causa prima*, cuius nullitatem vel insciũs deprehendet. Perspicuum namque est, homines quantumuis à Deo illuminatos, non omnia suo iudicio, aut intentione comprehendere, adeoque circa multa se habere negatiuè, nihil decernentes, sed iudicium suspendentes, quæ tamen suspensio absurde tribueretur diuino Iudicio omnia comprehendenti, ex suspensione igitur iuditij, aut intentionis Conc. Trid. circa comprehensionem Deiparæ sub *Pauli* testimonio, sinistre infertur suspensio, vel negatio Iuditij, & intentionis Spiritus sancti circa talem comprehensionem.

Contra: nam, vt ex supradictis patet, non est illa consequentia talis, qualem figurasti, vt ridiculam redderes. *N*on est enim vniuersalis omnis intentio Conc. est intẽtio *S*piritus sancti, ergo omnis intentio Spiritus sancti est intentio Conc. quia certum est intentionem *S*piritus sancti

cti,amplius extendi, quam intentionem Concilij Tridentini, quia extenditur ad alia, quæ sunt declarata, vel declaranda in alijs Conc. sed est argumentatio illa modificata, & in particulari iuxta subiectam materiam intelligenda, & sic non ridicula, sed seria est, optima, atq; vera, coarctando, scilicet, illam ad intentionem Spiritus sancti, prout assistentis, vel loquentis in Concilio, seu per Concilium, sic: intentio Concilij est intentio Spiritus sancti assistentis Conc. ergo intentio Spiritus sancti assistentis Conc. & intentio Conc. vel ergo intentio Spiritus sancti in Conc. est intentio eiusdem Conc. vel declaratio facta à Concilio, est declaratio Spiritus sancti, ergo si Conc. declarat aliquid, hoc ipsum declarat Spiritus sanctus, & in hoc sensu etiam potest poni vniuersaliter: omnis intentio, seu declaratio Conc. est intentio, seu ex intentione Spiritus sancti, ergo omne id, quod intendit Conc. intendit Spiritus sanctus, cuius consecutionis veritatem, vel inscius deprehendet, vnde sequitur, quod si Concilium declarat, se non habere intentionem includendi Virginem in verbis Pauli, Spiritus sanctus declarat, se in Concilio talem intentionem non habere, ex quo rectè infertur, neque in Paulo eam habuisse, idem enim Spiritus est, qui loquitur in Paulo, & qui loquitur in Concilio, vnde cum licet organa mutentur, persona loquens non mutetur, nõ est attribuendum, diuersas habuisse intentiones in vno, quam in alio, præsertim contradictorias, includendi, & non includendi.

Vnde consecutio illa non est similis illi: *omnis effectus causæ secundæ est effectus causæ primæ, ergo omnis effectus causæ primæ, est effectus causæ secundæ*, sed huic: *omnis effectus causæ secundæ, est effectus causæ primæ, ergo si causa secunda producit hunc effectum, etiam producit illum causa prima, vel ergo nullus effectus potest esse effectus causæ secundæ, qui nõ sit effectus causæ primæ*, vel sic *omnis effectus, quem causat causa secunda, est effectus*

ctus causa prima; sed causa secunda produxit hunc effe-ctum, ergo etiam producit illum causa prima.

Igitur ad casum nostrum, cum omnis intentio Concilij sit intentio Spiritus sancti, sequitur, quòd quidquid declarat Concilium, declarat Spiritus sanctus, & quidquid efficit declaratio Concilij, efficit Spiritus sanctus. Vnde cum adsit declaratio Concilij circa non comprehensionem Virginis Mariæ in verbis Pauli, adest declaratio Spiritus sancti circa eandem non comprehensionem, vel circa eandem non intentionem comprehendendi; nam hæc duo pugnant contradictoriè, habeo intentionem comprehendendi, & non habeo intentionem comprehendendi, & si suspensio iudicij est indecora diuino Spiritui, multo magis contradictio. Vnde refellitur illa suspensio iudicij, quam Concilio tribuis, nam licèt particulares homines possint negatiuè se habere circa multa, quantumuis valde sint illuminati, non tamen licet hoc attribuere Concilio in Spiritu sancto congregato, per quod Spiritus sanctus loquitur; cui suspensio iudicij, & intentionis absurde tribuitur, vel ergo attribuenda est suspensio iudicij, & intentionis Spiritui sancto in Concilio, vel neganda est ipsi Concilio: si attribuenda, ergo bene infertur ex suspensione intentionis Conc. suspensio intentionis Spiritus sancti, qua stante sequitur: quòd sicut Conc. non comprehendit ex eo, quia suspendit intentionem, etiam Spiritus sanctus non comprehendit: si neganda est suspensio iudicij ipsi Concilio, ergo positiuam habuit intentionem excludendi, quia cum expressa declaratione non intentionis comprehendendi pugnat intentio pôsitiua comprehendendi, atque adeo cum non sit concedenda suspensio, seu indifferentia, debet poni intentio expressa excludendi.

Confirmari tandem potest nostrum assumptum hoc discursu, Conc. habet intentionem comprehendendi in suo

suo decreto, omnes illos, quos Paulus comprehendit suis verbis: sed declarat, se non habere intentionem comprehendendi Virginem, ergo declarat consequenter non fuisse à Paulo comprehensam. Min. patet ex verbis Concilii non esse suæ intentionis &c. Cons. bona est, quia si à Paulo fuisset comprehensa, non posset declarare Conc. se eam non comprehendere, & nihilominus habere intentionem comprehendendi omnes illos, quos Paulus comprehendit, vt dicitur in maiori. Maior probatur. Nam Conc. explicat mentem Pauli, circa illa verba, *in quo omnes peccauerunt*, vt patet ex ipso decreto ibi. *quoniam non aliter intelligendum est id, quod dicit Apostolus, per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt; in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia catholica vbique diffusa semper intellexit: propter hanc enim regulam fidei, ex traditione Apostolorum etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remissionē peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Hæc Conc. vbi satis expressa est explicatio mentis Pauli, ergo & intentio comprehendendi in suo decreto, omnes paruulos in verbis *Pauli* comprehensos in ordine ad contractionem peccati originalis, & indigentiæ regenerationis. At in hoc decreto vbi de peccato originali agitur, declarat Spirit. Sanct. per Concilium se non habere intentionem comprehendendi Virginem in verbis Pauli.

Porrò intentio Conc. non solum circa non comprehēsionem, sed circa positiuam exclusionem colligere licet ex alijs casibus, in quibus positiua exclusio ex non comprehensione infertur. Primo enim sess. 4. cap. 5. vbi de iurisdictione iudicum conseruatorum decernit. Sic habet: *vniuersitates autem generales, ac Collegia Doctorum, seu scholarium, & regularia loca, nec non Hospitalia actu*

hospitalitatem seruantia, ac vniuersitatei collegiorum, locorum, & Hospitalium huiusmodi persona, in præsenti Canone minimè comprehensa, sed exempta omnino sint, & esse intelligātur. Ecce quomodo Conc. à regula generali, quam circa conseruatorum iudicum iurisdictionem ediderat, Collegia Doctorum, Hospitalia, eorumque personas, per non comprehensionem positiuè excludit. Sed dices forte subridendo, Conc. hic valde clarè suam mentem exprimere per illa verba, *sed exempta sint, & esse intelligantur*. Vnde frustra, & ridicule ex hoc loco arguitur; sed contra, rogo in primis, an si Conc. hæc verba non subiunxisset, sed tantummodo dixisset, *minimè comprehensæ intelligantur*, intelligerentur exclusæ nec ne? profectò puto neminem fore, qui illas personas non intelligeret exclusas. Deinde illa verba, *sed omnino exempta &c.* non ad necessitatem, sed ad maiorem declarationem solita esse in decretis apponi, ignorat nemo, ergo ex non comprehensione colligitur exclusio.

Quod patet etiam ex alio decreto, vbi illa non addidit Concilium, ex quo secundo probatur nostrum assūptum, nàm cap. 1. sess. 5. de reformatione, vbi de lectoribus S. scripturæ, & liberalium artium instituendis sermonem facit, sic habet; *Statuit eadem Sancta Synodus, neminem ad huius lectionis officium tàm publicè, quàm priuatim admittendum esse, qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus non fuerit; quod tamen de lectoribus in claustris Monachorū non intelligatur*, comparo illud, *quod tamen*, huius decreti cum illo, *declarat tamen*, decreti, de quo agimus; & illud, *non intelligatur*, cum illo, *non esse suæ intentionis, comprehendere*, quod sine dubio æquiualet huic; *non esse suæ intentionis vt comprehendatur*: ergo sicut illic positiuè exclusi intelliguntur lectores Monachorum ab examine Episcopi, ita hic Maria Virgo à canone generali culpæ. Num verba, quæ sufficiunt ad excludendos Mo-

nachos à regula generali examinis Episcopi, non sufficient ad excludendā Virginem à regula generali peccati?

Nec dicas Conc. in vno capite absolutè dicere, *non intelligātur*, in alio vero solùm dicere, *non esse sua intentionis comprehendere*, quod videtur diuersum: nàm contra est primo, quia si Conc. in decreto lectorum dixisset, *non esse sua intentionis comprehendere in illo decreto lectores Monachorum*, tu qui hoc dicis, si forte lector Monachorum esses, te omnino exemptum iudicares. Cur ergo quod tibi vis, Virgini Beatissimæ negas? *quod tibi non vis, alteri*, & præsertim Virgini, *ne feceris*. Deinde quis negare poterit illa verba, *non esse sua intentionis comprehendere*, æquiualere his, *non esse sua intentionis, quod comprehendatur, vel intelligatur*.

Sed ne aliqua tibi, vel minima dubitatio remaneat id ipsum probo ex diplomatibus Pontificijs, in quibus illa verba, *non esse suę intentionis*, inueniuntur, ex quibus expressa intentio aliquid excludendi, vel non faciendi à nostrismet aduersarijs infertur. Paulus V. cum ab actibus publicis expulisset sententiam affirmatiuam, & negatiuam tantum in materia Conceptiónis prædicari, & doceri posse decreuisset subiunxit; *per huiusmodi tamen prouisionem Santitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus praiudicium inferre*. Gregorius XV. postquam decretum Pauli ampliauit ad priuata colloquia addit: *per hoc tamen Santitas sua non intendit reprobare &c.* vt supra. Ecce hi duo Pontifices Summi solum dicunt, non esse suę intentionis, seù non intendere præiudicium inferre, ex quibus verbis non merā iudicij suspensionem, sed positiuam exceptionem ab omni præiudicio, & omnimodam exclusionem à reprobatione Apostolica inferunt aduersarij, ergo non est, cur ex illis verbis, *non esse suę intentionis comprehendere*, non inferatur positiua exclusio Virginis Mariæ à præiudicio, seu damno peccati origiualis, quod videbatur imminere

ex

ex vi decreti generalis ante prædictam declarationem positi.

Si tandem dicas Conc. ibi addere illam aliam clausulam restrictiuam, *sed obseruandas esse constitutiones Sixti IIII. cum pœnis in eis contentis, quas innouat*, atque adeo non voluisse excludere Virginem à regula generali, quia in prædictis constitutionibus libera relinquitur facultas sentiendi Virginem fuisse conceptam in peccato originali, quod cum intentione Concilij eam excludēdi est incompossibile.

Contra te est primo: quia etiam Pontifices cum dicūt, *non esse suæ intentionis præiudicium inferre sententiæ affirmatiuæ*, addunt illam restrictiuam, *præterquam quoad supra disposita*, quibus satis clarè insinuatur in supra dispositis aliquo illam afficere præiudicio, & tamen tu nō vis id audire; ergo similiter deberes sentire in nostro casu, sed quidquid sit de hoc.

Contra secundò, ergo relinquitur, quod si Conc. non addidisset illa verba, *sed obseruandas esse &c.* res esset absoluta, & diffinita. Igitur, cum dicendum nón sit, Conc. sibi non subsistere, dicendum non est, illa verba: *sed obseruandas &c.* contraria esse superioribus, *non esse suæ intentionis comprehendere &c.* sed tantummodo temperare illam declarationem, ita vt non sit expressa diffinitio, & tamen in suo perfecto sensu remaneat, simulq; cum subsequentibus, *sed obseruandas esse*, consistat, & vtrumque sit verum, scilicet, non esse intentionis Conc. comprehendere Virginem in suo decreto, & in loco Pauli, & tamen obseruandas esse constitutiones Sixti Quarti, quo ad omnia in eis contenta. Aliud est enim, sentire Virginem non comprehendi sub loco Pauli; aliud sentire Virginem cōtraxisse peccatum originale, quia bene poterit quis sentire Virginem non comprehēdi in loco Pauli, vel ex illius verbis non probari contractionem actualem culpæ originalis, & tamen sentire illam contraxisse, quia iudicat esse

alia testimonia, vel rationes pro contractione: itaque dico vno verbo: declarat Concilium, Virginem non fuisse à *Paulo* comprehensam in illis verbis: an vero ex alio capite probetur, & teneri possit, contraxisse peccatum originale relinquit inuestigandum, & hoc est, quod significant illa verba, *sed obseruandas esse*, & hoc ipsum implicite fuit decretum à Sixto IV. vt appareat vniformis Spiritus diuini sensus.

Pro cuius vberiori declaratione supponēdum est, tres Constitutiones edidisse Sixtum Quartum circa hanc materiam. Prima quæ incipit, *Cum praexcelsa*, in qua inuitat fideles, ad reddendas Deo gratias de Immaculatæ Virginis mira Conceptione, & celebrantibus missam, officiūq; Conceptionis à Leonardo Noguerolis compositum recitantibus, nec non eidem officio, & missę interessentibus concedit easdem indulgentias, quas Vrbanus Quartus, & Martinus Quintus, alijque Summi Pontifices celebrantibus missam, & recitantibus officium Corporis Christi, eisque interessentibus concessere. Vnde non sine fundamento, vt aliqui blaterant, initium sumpsit consuetudo, quæ iam in Hispania inoleuit laudandi Beatæ Virginis Conceptionem, vna cum Sacratissimo Eucharistiæ Sacramēto per illa verba. *Alabado sea el SS. Sacramēto del'altar, y la limpia Concepcion de Nuestra Señora cōcebida sin pecado original.* coniunguntur enim veneratione misteria; quæ indulgentijs Summus Pontifex coęquauit. Cumque hæc etiam Bulla obseruanda sit ex Concilio Tridentino, satis clare confirmatur exclusio positiua Virginis à lege generali, cum in prædicto officio, sæpius repetatur, Virginem fuisse ab originali præseruatam, in qua Bulla cum nulla prorsus fiat mentio sententiæ affirmatiuæ, non relinquitur ex vi illius facultas contrarium sentiendi, & posset etiam dici, si posteriores Bullę non extarent, rem esse iam diffinitam, & declaratam; sed videamus, quomodo in alijs prædicta facultas relinquatur, &

præ-

præfata declaratio temperetur;

Secunda Constitutio est illa, quæ incipit, *Graue nimis*; in qua Pontifex damnat, vt falsas, erroneas, & à veritate prorsus alienas propositiones, asserentes Ecclesiam non celebrare festum Conceptionis, sed sanctificationis, & affirmantes pollutos esse labe hęresis tenentes Virginem Mariam fuisse ab originali præseruatam; & libros has, & alias huiusmodi propositiones continentes reprobat, & damnat sub pœnis excommunicationis, atque maledictionis æternę, in qua Cóstitutione sub eisdem pœnis pręcipit, & mandat, ne sententia affirmatiua de hęretica notetur.

Tertia Constitutio, quæ etiam incipit, *Graue nimis*, fere eisdem verbis, quod in præcedente statuerat, firmat; presertim quoad illam partem, qua damnat, vt erroneas, & falsas; ac prorsus à veritate alienas illas propositiones, in quibus dicebant, esse hæreticos, aut peccare eos, qui festum Conceptionis celebrabant, aut asserebant, Virginem fuisse ab originali peccato præseruatam, & similiter mandat, ne quis audeat sententiam affirmatiuam appellare hęreticam, aut asserere, peccare eos, qui eam tenēt.

In quibus Constitutionibus Pontifex videtur idem facere, quod Conc. scilicet declarare, Virginem non fuisse comprehensam in verbis Pauli; & concedere vt possit nihilominus teneri sententiā affirmatiuā. Nam primo decernit esse falsam, erroneam, atque à veritate prorsus alienam propositionem istam. *Tenere Virginem fuisse sine peccato originali conceptam est hęresis, & peccatum.* Qua declaratione saltem implicite declarat id ipsum, quod explicite declarat Conc. scilicet, Virginem non fuisse cōprehensam in verbis Pauli. illi enim, qui dicebant, esse hęreticum, aut peccatum, tenere Virginem fuisse Conceptā sine originali, dicebant, Virginem fuisse comprehensam in verbis Pauli, *in quo omnes peccauerunt*, & contradicere Paulo, qui Virginem nolebant comprehendi in istis verbis; ideoque peccare, & esse hæreticos, ergo cum Pontifex

re-

reprobet, vt erroneum dicere, esse hæreticos, aut peccare eos, qui non comprehendunt Virginem in verbis Pauli, implicitè dicit, Virginem non esse comprehensam in verbis Pauli. Si enim esset comprehensa, sine dubio esset hæreticum, dicere non esse comprehensam, sic syllogismum efformo. Contrarii dicebant, esse hæreticum excludere Virginem à verbis Pauli, Pontifex dicit esse erroneum hoc dicere, ergo implicitè dicit, non esse comprehensam in verbis Pauli. Vel sic, Aduersarii dicebant contradicere Paulo, qui tenebant non comprehensionem Virginis in illis verbis. Pontifex dicit esse erroneum, asserere, contradicere Paulo, qui tenent non comprehensionem, ergo implicitè dicit, non esse comprehensionẽ Virginis in illis verbis Pauli, & hoc est, quod explicitè declarat Concilium.

Secundum, quod in suis diplomatibus facit Pontifex est, liberare, hoc non obstante, sententiam affirmatiuam à labe censuræ, quod quidem dicendum est, subsistere posse, cum exclusione Virginis à verbis Pauli, & ostenditur: nã cum sententia affirmatiua non solum ex verbis Pauli, sed etiam ex aliis capitibus probetur, relinquitur facultas sentiendi Virginem fuisse conceptam in originali ex prędictis aliis capitibus, non tamen relinquitur facultas sẽtiendi, seu comprehendendi Virginem in verbis Pauli. Hęc enim sunt contràdictoria. Non est intentionis Cõc. comprehendere Virginem in hoc decreto de peccato originali, & in loco Pauli, relinquitur tamen facultas sẽtiendi Virginem fuisse inclusam à Conc. in hoc decreto, & in verbis Pauli. Non tamen sunt contradictoria, non est intentionis Concilii comprehendere Virginem in verbis Pauli, nec in suo decreto fundato in Pauli verbis; at relinquitur facultas dicendi ex aliis capitibus, (si quę sũt) eam fuisse in peccato originali conceptam.

Itaque declaratio Tridentina, & Bullæ Sixtinæ mirabiliter cunueniunt, & quod Bulla implicitè, hoc expli-

citè declarat, Conc. scilicet Virginem non fuisse comprehensam in verbis Pauli; si tamen sint alia principia, ex quibus contractio peccati originalis in Virgine probari possit, relinquitur libera facultas id sentiendi, & indagādi, quo fit, vt illa prima declaratio non comprehensionis non sit diffinitio expressa; quia restringitur ad verba Pauli relinquendo alia testimonia, & fundamenta, si quæ sunt in suo robore, quod declaro hoc exemplo in eadem materia. Dicūt Aduersarii, sententiam affirmatiuam fulciri authoritate sanctorum Patrum Augustini, Gregorii, Thomæ. Discutiuntur authoritate Apostolica singillatim prædictorum Patrum authoritates, & inuenitur, Augustinum, verbi gratia, nihil in fauorem sententiæ affirmatiuæ contra negatiuam dixisse: declarat Summ. Pontif. Augustinum non posse pro sententia affirmatiua adduci, neque comprehendisse Virginem in quæstionibus peccati originalis contra Pelagium, at relinquitur facultas sentiendi Virginem contraxisse originale peccatum, ex Gregorio, & Thoma, donec eius authoritates discutiantur. Ad hunc modum Conc. declarat, Virginem non comprehendi in verbis Pauli, & ex illis non posse contra sententiam negatiuam disputari, at relinquit facultatem ex aliis locis scripturæ, si quæ sint, vel ex authoritate Patrū, aliisq; capitibus probandi sententiam affirmatiuam, eamque tenendi. Nos enim bene arguimus sic: ex Conc. declaratione infertur Virginem non fuisse comprehensam in verbis Pauli, sed non potest dari alius locus scripturę, ex quo colligatur eius incursio actualis in peccatum originale, ergo Virgo nō contraxit peccatum originale, quia si contraxisset, in scriptura constaret. Ad quod Arg. aduersarii poterunt, vel negare Minorem, & tunc tenebuntur ostendere talem scripturæ locum, vel distinguere Cons. quia licet non constet ex scriptura adsunt rationes, quibus sua sentētia fulciatur, & sic patet optimè, stare illa duo, scilicet non esse intentionis Conc. comprehendere

Vir-

Virginem in verbis Pauli, per quod significatur non esse à Paulo in illis verbis comprehensam, neque posse pro sententia affirmatiua illa verba adduci; relinquere tamen facultatem, sentiendi Virginem esse conceptam cum originali ex aliis capitibus, quę nondum discussa tunc erāt. His positis videant Aduersarii, si alium locum scripturæ habent, & producant; vel an habeant rationes, quibus id conuincant, quod cum ostendere non possint, quia tota ratio nobis assistit, vt statim patebit §. sequenti: Relinquitur ex vi illius non comprehensionis Conc. Trid. diffinibilis sententia negatiua, quod amplius confirmabitur ex decreto sequenti.

Probatur eadem veritas ex secundo decreto Tridentini.

SEcundum decretum Concilii Tridentini est sess. 6. can. 23. vbi sic ait. *Si quis hominem iustificatum dixerit peccare non posse, neq; gratiam amittere, atque ideò eum, qui labitur, & peccat, nunquam verè fuisse iustificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. V. tenet* Ecclesia, *Anathema sit.* Ex hoc decreto dupliciter probari potest veritas Conceptionis Immaculatæ, eiusque diffinibilitas. Primò ex eo, quòd rationes, vel scriptura, ex quibus colligitur priuilegium præseruationis à venialibus militant pro priuilegio præseruationis ab originali, Secundò, quia ex hac declaratione explicita præseruationis à venialibus, rectè colligitur, esse implicitè in regula fidei priuilegiū pręseruationis ab originali.

Ostendamus primum, discutiendo rationes, quibus sanctus Thomas probat Virginem non commisisse veniale. Si peccasset actualiter (inquit Sanctus 3. p. q. 27. art. 3.) non fuisset idonea Mater Dei. Primò, *quia honor parentum redundat in prolem secundum illud prouer. 7. gloria filiorum Patres eorum, & per oppositum, ignominia Ma-*

tris

tris in filium redundaret. Sic argumentor: vel peccatum originale est ignominia, sicut veniale, vel non. Hoc secundum dici non potest, quia à sanctis Concilijs, & Patribus vocatur, Nota, Contumelia, Indignitas, Fœditas, Inimicitia Dei, Mors, inquinatio, Macula &c. Ergo ignominia est, at cum ex sancta Pagina generaliter colligatur ignominiam Matris redundare in filium, & ex hoc inferat Sanctus, non decuisse Matrem Christi aliquam, vel leuissimam culpam venialem, adhuc per vnum instans, cur non est dicendum, redundare in filium ignominiam Matris, si aliquando, vel per vnum instans culpæ originalis maculam habuisset? debet ergo assignari disparitas, cur ignominia, quãdo est veniale, redundet, & quando est originalis, non debet redundari in filium. Imò hæc multo magis redundat in filios, cum hæreditaria sit, & generatione rransfundatur, illa non. Ergo ex eodem testimonio scripturæ, ex quo colligitur immunitas venialis, colligitur originalis, vel ex illo non bene colligitur immunitas à veniali, à sanct. Thom.

Secundò probat S.Thom. *quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit, dicitur autem 2. ad Corint. 6. quæ conuentio Christi ad Belial.* Sic arguo: ex sancto Thoma conuenisset Christo cum Belial, si Mater ipsius aliquando venialiter peccasset, licet ab eo peccato mundata fuisset, at multo magis conueniret cum Belial, si aliquando filia Belial per originale extitisset, damnata enim, mortua, inimica Dei, diabolique amica fuisset aliquando. Ergo sicut ne dicatur conuenisse Christum cum Belial, dicendum est, quod nec vno instanti fuit fœdata veniali Maria, à fortiori dicendum est. eam non habuisse originale. cum vt dictum est, maior esset conuentio Christi cum Belial, si originali culpa fuisset fœdata Virgo Maria. Vel ergo ex hac scriptura, & ratione in ea fundata, non bene probatur præseruatio ab actuali, vel æque bene probatur preseruatio ab originali.

Tertiò,

Tertiò, *quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia in ipsa habitauit, non solum in anima, sed etiam in vtero, dicitur autem Sapient. 1. in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, eodem pacto argumentor. Anima Virginis esset maleuola, & indigna ingressus Christi, si per vnum iustãs admisisset peccatum veniale, essetque subdita peccatis, & indigna inhabitationis Verbi, quia Spiritus sanctus dicit, quod non habitabit sapientia in corpore subdito peccatis: atqui multo magis esset maleuola, si peccatum originale contraxisset, quia per illud simpliciter maleuola esset, idest maleuolita Deo, subdita propriè peccato, & peccatorum capiti pempe Diabolo: ergo sicut ne illud Spiritus sancti, *in maleuolam animam non introibit sapientia*, habeat locum in Virgine, vel ne diceretur Deum habitasse *in corpore subdito peccatis*, necesse fuit, eam à peccato veniali præseruari; ita debuit præseruari ab originali, vel illa ratio Sancti Thomæ nulla est ad probandã præseruationem à veniali.

Quod autem per peccatum originale fiat homo subditus peccatis est expresse declaratum in Conc. Trid. vbi supra, his verbis: *Si quis non confitetur primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat amisisse, incurrisseque per offensam prauaricationis huiusmodi iram, & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam ante illi cominatus fuerat Deus, & cum mortem captiuitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli, totumque Adam per illam prauaricationis offensam secundum corpus, & animam indeterius commutatum fuisse, anathema sit.* Ergo ex vi peccati originalis sub Diaboli potestate fuisset Virgo, ac per Conf. non secus indigna habitationis Verbi, vt pote subdita peccatis, quàm si veniale comisisset.

Ten-

Tandem concludit Sanctus, dicendo, *& ideò simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum peccatum actuale comisit, nec mortale, nec veniale, vt sic in ea impleatur, quod dicitur cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* At ex his verbis nulla est, maior ratio, vt colligatur p ræseruatio culpæ venialis, quam originalis, ergo vel ista probatur, vel illa non colligitur. Minor probatur, nã si Tota pulchra verificatur, licet fuerit maculata Virgo peccato originali, quod proprius macula animæ dicitur, quam veniale, multo melius verificatur, licet habuerit veniale, quod quidem non ita maculat animam, sicut originale, quod importat inimicitiam formalem cum Deo, & se habet in anima sicut mortale; ergo vel non fuit adimpleta scriptura, si Virgo non fuit liberata ab originali præseruatiuè, vel etiam adimpleretur, licet in peccatum veniale incidisset, vnde vel vtrumque probatur, vel neutrum.

Sed fortè dicet quispiam: venialem culpam dici posse aliquo modo maiorem maculam, & tollere magis affinitatem cum Deo, quam originalem, quia hæc contrahitur per voluntatem positiuam in aliena voluntate, seu quasi per procuratorem, & quando actualiter cõtrahitur, est sine propria voluntate, seu cõsensu, tunc exhibito, illa autem committitur propria voluntate. Vnde si supponatur, quod Virgo vtrumque priuilegium habere non potuisset, & data ei fuisset optio, vel nunquam comittendi veniale, vel incurrendi originale in primo instanti suæ Conceptionis, potius debuisset eligere incurrere originale, quam veniale comittere. Nam peccatum originale consideratum, prout contrahitur in primo instanti Conceptionis, supponitur comissum in Adamo, quando actualiter peccauit, vnde comparatur peccato habituali, quod supponit eius actualem comissionem, vnde sicut nemo potest comittere peccatum veniale, vt consequatur remissionem peccati habitualis, ita non potuisset Vir-

go eligere, peccare venialiter, vt liberaretur à peccatò originali in primo Conceptionis instanti, supposito quòd jam illud commiserat in Adamo, quando iste peccauit, quia in ipso erat voluntas Virginis, sicut cęterorum Adæ posterorum.

Hæc euasio, quæ prima facie videbitur alicuius roboris, bene considerata nullius momenti est, nisi confirmationi deseruiat nostrę doctrinę. Imprimis enim ratio maculæ, vel ignominię, aut alienationis, seù auersionis à Deo non pensatur, ex eo quod peccatum fiat per proprium consensum, vel per alienum, si ego meum consensum in alio posui, hoc est per consensum meum formalem, vel virtualem, vel per me, vel per procuratorem; sed sumitur ex intrinsecis prædicatis peccati, & effectu, quem causat in anima, at dubitari non potest, quod veniale peccatum nō causat in anima effectus, quos causat originale. Quod confirmatur exemplo allato, nam si illud esset verum respectu originalis comparati cum veniali, etiam esset verum respectu habitualis comparati cum veniali. Vnde sequeretur, quod peccatum veniale esset maior macula, vel ignominia, quam mortale habituale, vel mortale commissum per procuratorem, quod certe est falsissimum. Sicut ergo licet quis non possit comittere peccatum veniale, vt consequatur remissionem mortalis (quia si posset licitè iam non esset veniale,) non inde sequitur, peccatum veniale esse maiorem maculam, quam habituale mortale, aut mortale comissum per procuratorem; ita non potest dici veniale esse maiorem maculam, & magis indignam reddere animam habitationis Dei, quā originale.

Deinde (supposito nunc, quod Virgo fuit in Adamo sicut cæteri eius posteri, quod non est ita certum, & supponendo non potuisse vtrumque priuilegium obtinere) supponitur falsum, cum peccatum originale comparatur peccato habituali. Quia istud supponit infectam, & maculatam animam per actualem eius comissionem. At

pec,

catum originale prout comissum in Adamo non supponit animam infectam, sed solum debitricē infectionis. Vnde non potest dici, quando homo concipitur, quod perseuerat in peccato iam contracto, sicut de peccato habituali dicitur post primum instans cōmissionis, sed quod tunc primo contrahit originale peccatum, & tunc primo eo maculatur anima, ad quod solum debitum habebat ante instans conceptionis, aliud autem esse habere debitum contrahendi, aliud autem iam contraxisse, vel comisisse, & pro aliquo instanti in peccato perseuerare quis non videat? Cum ergo hoc consideretur in peccato habituali, illud in originali, non bene infertur; quod ex eo, quod quis non possit committere peccatum veniale, si remaneat veniale, vt consequatur remissionem mortalis; non posse comitere veniale, vt consequatur praeseruationem à prima inquinatione, & maculá originalis, præsertim si hoc medium necessariū sit, & sine quo præseruatio originalis obtineri non posset, quia vt supponitur, vtrumque obtineri non potest. Addo pro maiori declaratione hanc considerationem: ponamur Petrum posuisse suam voluntatem in Ioanne, & Ioannem comisisse nomine Petri aliquod peccatum; quod tamen Petro non imputatur, nec eum gratia priuat aliosque prauos effectus producit, donec Petrus facti certior, factum ratificet, vel non detestetur facinus procuratoris. Detur Petro optio, vel commitendi veniale, vel approbandi, aut detestandi factum procuratoris. Quid debebit facere Petrus, vel quo magis anima eius maculabitur comitendo veniale, aut non detestando, nec reprobādo factū Ioannis? Quis dicet minus maculaturum animam suam peccato mortali ratificato, quam veniali comisso. Peccatum ergo originale sic considerandum est, nam Adamo capite nostro, & procuratore constituto in illo omnes peccauimus, non tamen nobis illa culpa propriè imputatur, aut nos reddit Deo inimicos, nisi in primo instanti cōceptio-

nis

ais, vnde si tunc nobis daretur optio, nemo esset, qui factū Adami potius ratificare vellet, quā peccatum leue veniale comitere, quo anima nec maculata, nec sine gratia, nec inimica Dei esset, sicut ex ratificatione peccati Adami.
Porro peccatum originale dici maculam, & iniquitatem animæ probatum est supra, ex Conc. Trid. vbi dicitur Adamum fuisse illo peccato inquinatum, eiusq; inquinationem in suam propaginem transfudisse. Quod autem peccatum veniale non propriè, & simpliciter, sed secundū quid sit macula animæ, est doct. S. Thom. & omniū Theologorum, quia & compossibile est cum gratia, & charitate, & non reddit hominem Deo inimicum, & exosum. Pono tex. S. D. inquirit ergo 1. 2. q. 89. a. 1. *Vtrum peccatum veniale causet maculā in anima*, & respondet negatiuè his verbis. *Respondeo dicendum, quod sicut ex dictis patet, macula importat detrimentum nitoris ex aliquo contactu sicut in corporibus patet, ex quibus per similitudinem nomen macula ad animam transfertur, sicut autem in corpore est duplex nitor, vnus quidem ex intrinseca dispositione membrorum, & coloris, alius autē ex exteriori claritate superueniente, ita etiam in anima est duplex nitor. Vnus quidē habitualis, quasi intrinsecus. Alius autē actualis, quasi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, nō tamen habitualem, quia nō excludit, neq; diminuit habitum charitatis, & aliarū virtutum, vt infra patebit, sed solum impedit earum actum. Macula autem importat aliquid manens in re maculata, vnde magis videtur pertinere ad detrimentum habitualis nitoris, quā actualis, vnde propriè loquēdo, peccatū veniale non causat maculā in anima, et si alicubi dicitur maculam inducere, hoc est secundum quid, in quantū impedit nitorem, qui ex est actibus virtutum.* Ergo cum ex S. Th. peccatum veniale propriè non sit macula, nec animæ insit per modum habitus, sicut de originali, docet S. Thom. 1. 2. q. 82. art. 1. esse in anima per modum habitus, sequitur illa

illa verba S.Scripturæ, *macula non est in te*, de originali proprius, quam de veniali, esse intelligenda.

Ex quibus omnibus cōcluditur, vel rationibus, quibus S.Thom.ex sac.pag. colligit præseruationem Virginis à culpa veniali eā non probare, vel æq; rectè probare eiusdē Virginis purissimæ, & Immaculatissimæ præseruationē à culpa originali, pro cuius conclusionis robore altius penetrando proderit reponere articulū, & respons.S.Thom. circa præseruationem originalis, sicut circa venialis præseruationem ponitur à S.D. Postquā ergo art.1. probauit Virginem fuisse sanctificatam in vtero inquirit 3. *Vtrū per huiusmodi sanctificationem fuerit consecuta, vt nunquam peccaret actualiter*. Nos vero titulum ponamus sic; *Vtrū per huiusmodi sanctificationem fuerit consecuta vt non contraheret actu peccatum originale*. Videamus nunc, an responsio S.Thom.correspondeat æq; bene titulo à nobis posito de præseruatione originalis, ac titulo posito à S. Th. circa præseruationem actualis, sic inquit. *Respondeo, dicendum, quod illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita preparat, & disponit, vt ad id ad quod eliguntur, inueniātur idonei secundum illud 1. ad cor. 3. Idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Beata autē Virgo fuit electa diuinitus, vt esset Mater Dei, & ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod Angelus ad eam dixit, inuenisti gratiam apud Deum, ecce concipies &c. Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando. Tum quia honor parentum redundat in prolē secundū illud Prou. 7. gloria filiorū Patres eorum, vnde & per oppositum ignominia Matris ad filium redundasset. Tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit, dicitur autem 2. cor. 6. quæ conuentio Christi ad Belial. Tum etiam quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapiētia, in ipsa habitauit, non solum in anima, sed etiam in vtero dicitur autem Sap. 1. in maleuolam animam nō introibit*

sa-

sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, & ideo simpliciter fatendum est, quod B.V. nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, vt in ea impleatur quod dicitur Cãt.4. Tota pulcra et amica mea, & macula non est in te O.D. Angelice Ecclesię S. lumen? *N*onne post illa verba *nec mortale, nec veniale*, addi potest, *nec originale incurrit*; quis negabit S. Thom. responsurum, quod sic. *N*am rationes æque militãt circa originale, vt in ea propriè impleatur illud Cant. *macula non est in te.* Hoc non implebitur si vno instanti sit veniali contacta, quod non est macula, & implebitur, licet sit originali macula fœdata, absit, absit.

Probemus iam secundum, scilicet Virginis præseruationem ab originali esse diffinibilem ex eo, quod implicitè sit in regula fidei. In præcitato canone Concilium decernit de Fidè tenendum, nullum hominem vitare posse venialia, nisi ex speciali Dei priuilegio, & teneri ab Ecclesia Catholica Virginem tali priuilegio gauisam fuisse, ex quo veritas præseruationis B.V. à peccato origiuali, eiusq; diffinibilitas clarè probatur, nam supposita declaratione non comprehensionis Virginis in verbis Pauli, cũ ex nulla alia scriptura diuina, peccati contractio probari possit, restat vt ex quocumq; priuilegio explicitè contẽto in regula fidei, ex quo inferatur præseruatio ab originali, optimè colligatur eius diffinibilitas, quia est implicite in scriptura, vel regula fidei, neq, enim requiri debet ad diffinibilitatem, quod explicite sit in regula fidei, quia quod est explicite in regula fidei non diffinibile, sed diffinitum est, quod & aduersarii fatentur, cum idcirco solũ negent, hanc veritatem esse diffinibilem, quia negant implicitè contineri in aliqua regula fidei. Nunc sic: præseruatio à peccato originali infertur legitimè ex aliqua veritate contenta in regula fidei, ergo est diffinibilis, Consequentia est bona. Antecedẽs probo. In canone citato, qui proculdubio est regula fidei, expressè cõtinetur, Ecclesiã

tenere, B. V. speciali priuilegio decoratam fuisse, nō committendi peccata venialia, sed ex hoc legitime infertur, etiam caruisse peccato originali, ergo immunitas Virginis à contractione peccati originalis est implicite in aliqua veritate explicite contenta in regula fidei.

Probo minorē ex Augustino, qui ex nullo alio capite, fortius contra Pelagianos probabat, Christum caruisse originali, quam ex eo, quod caruisset veniali, ad cuius euidentiam sciendū est: Pelagianos, duos inter alios habuisse errores inter se connexos. Primus erat, non omnes homines concipi, & nasci cum peccato originali, nec accipere naturam vitiatam, & infectā ex vi peccati primi hominis. Secundus erat, posse homines viribus naturæ, & sine gratia per Christum vitare omnia peccata venialia, & mortalia, & hoc secundum inferebant ex primo. Vt autem probaret Pelagius hoc duos errores afferebat elenchum virorum, ac mulierum, tam veteris, quàm noui testamenti, qui sine peccato vixerūt, vt patet ex verbis Augustini cap. 36. de natura, & gratia cōtra Pelagianos, vbi sic scribit: *Deinde commemorat* (loquitur de Pelagio) *eos qui non modo peccasset, verum etiam iuste vixisse referuntur. Abel, Enoc, Melchisedec, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Iesum Naue, Samuel, Nathan Heliā, Helisēū, Micheam, Daniel, Ananiam, Azariam, Missael, Ezechiel, Mardocheum, Simon, Ioseph, cui desponsata est V. Maria, Ioannē: adiunxit etiam fœminas Delborā, Annam Samuelis matrem, Iudith, Esther, alteram Annā filiam Phanuel, Elisabet, ipsam etiam Domini, ac Saluatoris nostri Matrem, quā dicit sine peccato confiteri necesse esse pietati.* Hos omnes adducebat Pelagius in exemplum, vt probaret posse hominem viuere sine peccato, atque ideò ex hoc colligere, quod non accepissent naturam vitiatam originali peccato, quid autē ad hoc replicet Augustinus audiamus, sic prosequitur. *Excepta Virgine, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo quæstionē, inde enim scimus, quod ei plus grat ia collatum fu erit ad vincendum*

D om-

omni ex parte peccatum, qua concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum, quem locum etiam citat S.Thom.

Ex quo mitto nunc, quam belle Augustini mẽs circa præseruationem, B.V. à peccato originali colligi possit. Nam cũ nullam se habere quæstionem cum de peccatis agitur velle dicat; vtramq; quæstionem excludit, tam illã, quæ vertebatu circa contractionem peccati originalis, quam aliam circa comissionem actualis. At respectú præseruationis à venialibus non mere precisiue, seù negatiuè se habet, cũ quæstionẽ excludit, sed supponit illud non comisisse, ergo cum quæstionem excludit de originali, supponit illud non cõtraxisse.

Sed hoc omisso, pondero Augustinum contra Pelagium probare in hoc loco, quod illi omnes contraxissent peccatũ originale, quia contraxerunt venialia, vt paret ex subsequẽtibus verbis. *Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sãctos, & Sanctas, cum hic viuerent congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros, putamus, vtrum id, quod iste dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerit in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogare potuisset nõ ne vna voce clamassent si dixerimus quia peccatum nõ habemus nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis.* Hæc Augustinus: ex quo ego sic: multi eorum de quibus locutus fuerat Pelagius, & quos in medium proferebat, vt probaret fuisse sine peccato originali, & actuali est certum non comisisse mortalia, sed solum venialia, ergo inde colligit contraxisse originale, quia comiserunt venialia, at vt uidimus in canone fidei, supponitur teneri ab Ecclesia Catholica Virginem, non comisisse venialia, ergo sequitur non contraxisse originale, sicut colligeretur contraxisse originale, si commisisset venialia.

Confirmatur: Nam lib.5. contra Iulianum Pelagianum expressius hanc suam mentem expressit Augustinus, contẽdebat iste multos esse Sanctos, qui originali caruissent, & id etiam probabat ex eo, quod caruissent venialibus, & hoc etiam

etiã inferebat ex eo, quod in Christo verũ erat, quod originale non habuerat, quia neq; actuale fecerat. Augustinus autem asserit de nullo preter Christum dici posse, caruisse originali, quia nullus præter ipsum veniali caruisset, sunt verba Augustini ad Iulianum. *Illud sane magnum vtrumq; dixisti, cum posuisset testimonium Apostoli Petri dicentis, qui peccatum non fecit, notandum est, quod iudicauerit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatũ, quia dicit illum nullum fecisse peccatum, vt doceret, inquit, quia qui non fecit, habere non potuit.* Ex quo apparet velle Iulianum probare, eos, qui peccatum non fecerunt, non habuisse originale, sicut in Christo verum erat. Quod argumẽtum non solum non reprobatur ab Augustino, sed approbatur, & assumitur ad ostendendum, quod sicut nullus est præter Christum, qui peccatum non fecerit, non est aliquis præter ipsum, qui culpam originalem non contraxerit. Audi illũ sic contra Iuliam discurrentem. *Omnino verissimum est.* Verissimum esse inquit, quod Iulianus dicit de Christo, scilicet non habuisse originale, quia non fecit veniale, sed quid inde colligitur, audi. *Profecto enim peccatum maior fecisset si paruulus habuisset. Propterea enim nullus est hominum preter ipsum, qui peccatum non fecerit maiori ętatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Nunc sic inde pronat Augustinus omnes Sanctos præter Christum habuisse peccatũ originale, quia fecerunt actuale; & inde probat Christum caruisse originali, quia non fecit actuale, ergo hoc argumẽtum iuxta logicam Augustini bonum est, *nõ peccauit actualiter, ergo non habuit originale, peccauit actualiter, ergo habuit originale.* At continetur in canone fidei, tenere Ecclesiam catholicam, Virginem non fecisse veniale, ergo sicut argumentum Augustini valet contra Iulianum ad probandum Christum non habuisse originale, sed cæteros omnes, ita debet valere respectu Virginis apud catholicos. Et sicut hic, cum dicit Augustinus, omnes præter Christum comisisse venialia, non voluit includere Virginem, quam iam ab

hac

hac quæſtione excluſerat ſupra, ita etiam quando dicit, omnes præter ipſum habuiſſe originale, non intendit includere Virginem; ſed ſupponit illam exceptam ab hac quæſtione. Nec dici poteſt ibi Auguſtinum per illa verba *infantilis ætatis exortu*, non ſignificare conceptionem, ſed natiuitatē. Tum quia ſic eſset falſa propoſitio Auguſtini, quod nullus præter Chriſtum natus fuit ſine peccato originali, quia nullus præter ipſum non commiſit peccatum actuale, quia falſificatur in Hieremia, & Ioanne Baptiſta, de quibus certum eſt natos eſſe ſine peccato. Tum quia non bene argueret Auguſtinus contra Pelagium, cuius principalior quęſtio erat circa contractionem peccati originalis in conceptione, non vero circa natiuitatem in gratia, vel ſine illa, vt patet ex ſupradictis, ideo enim multos enumerabat, qui iuſte, & ſine peccato vixerunt, vt inde probaret multos non contraxiſſe peccatum originale: Auguſtinus verò è contra eoſdem enumeratos à Pelagio iuſte vixiſſe, hoc eſt ſine peccato actuali mortali, non tamen ſine peccato veniali; & ex hoc probabat habuiſſe originale, & eius effectum, ſcilicet appetitum rationi non ſubiectum, ſeu inordinatum, ex qua deordinatione quaſi neceſſario fiunt peccata venialia; vnde Auguſtinus ſic intelligit illud pſalmi, *de neceſſitatibus meis erue me*, Relinquitur ergo, Auguſtinum arguere de peccato veniali ad originale, & inferre in Chriſto carentiam originalis ex carentia commiſſionis venialis, in cæteris vero Sanctis (excepta B. Virgine, quam à quæſtione excludit) inferre contractionem originalis ex commiſſione venialis, Vnde permanet argumentum noſtrum in ſuo robore, quod libet in fine repetere in hunc modum. Ex canone fidei conſtat explicitè, teneri ab Eccleſia, Virginem non comiſiſse peccata venialia, ex Auguſtino bene infertur, ex carentia comiſſionis venialium carentia peccati originalis, ergo ex canone, ſeù ex veritate contenta in canone fidei infertur carentia peccati originalis in Virgine. Ergo hęc carentia eſt implicitè in aliqua veritate explicitè contenta in cānone, ſeu regula fidei, ac per conſequens diffinibilis. Deo gratias.